ANALECTA CATULLIANA ...

Emil Baehrens

ANALECTA CATULLIANA.

SCRIPSIT

AEMILIUS BAEHRENS.

ACCEDIT COROLLARIUM.

IENAE.

SUMPTIBUS HERMANNI DUFFT
(LIBRARIA MAUKIANA).

MDCCCLXXIV.

I.

De Catulli et Lesbiae amore.

De Catulli Lesbia nostra aetate duo potissimum uiri docti de Catullo bene meriti, Mauricius Hauptius [obs. crit. p. 8] et Ludouicus Schwabius [quaest. Catull. p. 56 sqq.], et ille quidem perbreuiter et nullis additis rationibus, hic autem larga amplaque disputatione usus, ita quaesiuerunt ut eandem atque Clodiam istam quadrantariam Ciceronis potissimum pro Caelio oratione infamatam affirmarent. sed Schwabii argumentationem cum non una ab parte uiderent infirmam, postea impugnauerunt Guilelmus Vorlaenderus ['de Catulli ad Lesbiam carminibus' Bonnae 1864], T. T. Kroonius ['quaestiones Catullianae' Lugd. Batau. 1864] et, qui horum argumenta complexus est, Alexander Riesius [in Fleckeiseni annal. a. 1872 p. 747 sqq.]. quos cum obloquendi studio nimis abreptos ea negare quae negari nullo modo debuerunt, haud pauca autem in hac quaestione adhuc admodum dubia uiderem, hinc primo horum analectorum capiti materiam esse uolui.

Recte autem Kroonius Riesiusque Schwabii disputationem eo maxime laborare intellexerunt quod ille quae probanda erant iam probata posuit atque Clodiam quadrantariam a Catullo Lesbiae nomine ficto significatam esse affirmans (ipsius utor uerbis) Lesbiae et Catulli amorem cum perpetua Clodiae comparatione enarrauit. hoc enim pacto perfacile fieri potuisse ut multa ille inferret aliena multa admisceret dubia, quis est quin intellegat? unicam igitur uiam, qua in re tam incerta

ad uerum perueniri possit, eam ingrediamur oportet ut ex ipsius poetae carminibus interpretatione quam accuratissima eruamus certam de Lesbiae condicione moribus ingenio deque amoris qui inter eam et Catullum erat uicissitudinibus notitiam. tum demum disquirere licebit num Catullianae Lesbiae imagini conueniat cum ea quae de Clodia quadrantaria nobis tradita est.

Iam ut certo disputatio nostra fundamento innitatur, enumeranda sunt quae ad Lesbiam pertineant carmina. cuius nomen prae se ferunt c. V. VII. XLIII. LI. LVIII. LXXII. LXXIX. LXXXIII. LXXXVII et LXXV. XCII. CVII. porro ad Lesbiam certe referenda sunt, licet eius nomen non contineant., c. II et III [cf. Martialis VII 14 et XIV 77]; VIII et XXXVII [cf. LVIII 3 et LXXXVII 1], LXX [cf. LXXII] et LXXVI [cf. u. 13]. — alia poematia num ad Lesbiam pertineant infra uidebimus; nunc hoc unum addam, carmine LXVIII[b] *) non posse aliam mulierem celebrari quam Lesbiam. quod a sententiae Schwabianae impugnatoribus nimis cupide negatum est, cum intellegerent illi ab hoc carmine pendere omnem de Lesbiae persona disputationem. quid enim? cum Catullus, ut erat homo sincerus idemque calidus, quaecumque ei acciderunt siue mala siue bona, ea uersibus exprimeret, plane ut de eo dicere liceat quod de Lucilio Horatius [sat. II 1, 30 sqq.]:

ille uelut fidis arcana sodalibus olim
credebat libris, neque si male cesserat usquam
decurrens alio neque si bene; quo fit ut omnis

*) numquam perspexi quomodo Lachmannum secuti Hauptius et L. Muellerus c. LXVIII unum indiuisumque habere potuerint, cum omnia clament duo esse carmina plane diuersa. nolo hic causas totiens prolatas necdum refutatas repetere, hoc adiecisse contentus, cum ter codices quasi intento digito demonstrent ei, ad quem c. LXVIII[b] datum sit, Allii fuisse nomen, etiam quarto loco [u. 66] librum omnium optimum Oxoniensem 'Allius' praebere, non quod Sangermanensis eiusque asseclae tradunt, 'Manlius'.

uotiua pateat ueluti descripta tabella
uita senis,

eodem, inquam, animo cum Catullus omnes uitae casus carminibus crederet, num credibile est eum tanto amore quantum c. LXVIII prae se fert adamasse puellam nescioquam, cuius nunc quidem nullam in illius poematis commemorationem inueniamus? nihil enim proferunt qui librum Catullianum mancum atque lacunosum ad nos peruenisse contendunt, quippe qui unius uel duorum foliorum in archetypo Ueronensi fecerit iacturam. neque magis apud me ualet eorum sententia qui, quia Ouidius [trist. II 429 sq.] dixit 'nec contentus ea (Lesbia) multos uulgauit amores, in quibus ipse suum fassus adulteriumst', idcirco uel complura carmina amatoria periisse uel c. LXVIII[b] ad aliam quandam mulierem referendum esse aiunt. Ouidius enim pro loci argumento tres quattuorue Catulli amores dicere potuit 'multos'. scimus autem ex ipso Catulli libro, eum et Ipsitillam et Aufilenam et Ameanam per aliquod tempus in deliciis habuisse: sed erant eae meretriculae leuissimae, sed solam libidinem explendi causa rem cum eis habuit poeta (ita enim intellegenda est uox Ouidiana 'adulterium'; cf. Hor. od. I 33, 9; 36, 19 alia). iam mihi legas uersus ad mulierculas istas datos: perspicies profecto quam plane diuersum amorem spirent ab eo quem ad Lesbiam missi. nimirum Lesbia erat unica femina quam sincere et ex animo dilexerit Catullus: in hac non solum formam corporis, sed etiam animi ingeniique bona admiratus est. quod ipse uersibus suauissimis expressit [c. LXXII]:

dicebas quondam solum te nosse Catullum,
    Lesbia, nec prae me uelle tenere Jouem.
dilexi tum te non tantum ut uulgus amicam,
    sed pater ut gnatos diligit et generos.

de quibus uersibus, quos non intellexerunt Kroonius [p. 125] et Riesius [p. 753], recte iudicauit Westphalius [p. 115]. itaque cum nulla appareat causa cur Catullo ipsi saepius fatenti

Lesbiam unam a se uere amatam esse diffidamus cumque nulla occurrat femina, ad quam carmen LXVIII^b referre possimus, meo mihi iure sententia eorum stare uideor qui puellam carmine illo celebratam esse Lesbiam dixerunt. nam Riesium haec [p. 753] afferentem: 'es herrscht hier ein viel lässlicherer Ton, vielmehr die Gesinnung des 'leben und leben lassen' als dass es sich aus der Zeit der heissen Liebe zu Lesbia heraus leicht erklären und mit dem Ton der anderen Lesbialieder vereinigen liese' nihil plane moror; nam prorsus aliter de hoc carmine et ego sentio et senserunt alii.

His praemissis iam nihil obstat quominus Lesbiae cum Catullo amorem accuratius persequamur. fuisse eam mulierem nuptam ipse poeta significat c. LXVIII^b, u. 51 sqq.:

nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam
scitis et in quo me torruerit genere,
cum tantum arderem quantum Trinacria rupes eqs.

in his neque cur dolosa audiat Uenus intellegimus neque illud 'quo in genere' satis apte positum est, nisi exclusis uulgaribus amoris generibus, scilicet in puellas ingenuas aut libertinas aut pueros, singulari quodam amore, scilicet feminae nuptae, se inflammatum dixit poeta. quod firmatur eis quae secuntur u. 143 sqq.:

nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
fragrantem Assyrio uenit odore domum,
sed furtiua dedit muta munuscula nocte
ipsius ex ipso dempta uiri gremio,

conuinciturque loco Propertiano [III 32, 87 sq.], cuius uim adhuc non perspexerunt uiri docti:

haec quoque lasciui cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.

numquam profecto Propertius Lesbiam cum Helena potius quam cum alia quadam heroide comparasset, nisi illa nupta eademque celebri loco orta fuisset. quibus simul apparet a Catulli uerbis illis 'ipsius ex ipso dempta uiri gremio' remouen-

dam esse Riesii [p. 753] sententiam per se iam reiculam de nuptiis ut aiunt innuptis agi censentis.

Quo tempore quoque modo Catullus cum Lesbia familiaritatem contraxerit nos iam nescimus, nisi quod ex c. LXVIII^b u. 157, de quo capite tertio agam, colligi potest Anserem poetam in Lesbiae domum duxisse adulescentem. restitisse per aliquod certe tempus feminam cupidi amatoris precibus, qui carminibus maximeque illo [c. LI] 'ille mi par esse deo uidetur' amorem ei declarauerat, ostendit c. LXXXIII:

Lesbia mi praesente uiro mala plurima dicit:
haec illi fatuo maxima laetitiast.
mule, nihil sentis? si nostri oblita taceret,
sana esset. nunc quod gannit et obloquitur,
non solum meminit, sed, quae multo acrior est res,
iratast, hoc est, uritur et coquitur.

nam nihil omnino obstat quominus hos uersus intellegamus de Lesbia poetae amorem iterum iterumque professo subirata. ipse autem poeta nondum in amore potens quantis aestibus iactatus sit c. LXVIII^b u. 53—56 declarat:

cum tantum arderem quantum Trinacria rupes
lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,
maesta neque assiduo tabescere pupula fletu
cessaret tristique imbre madere genae.

Mox Lesbia Catulli amorem amore respondens fidem rupit marito. et primo quidem quod in eorum amore sequebatur tempori aperte attribuenda sunt carmina II 'passer deliciae meae puellae'; III 'lugete o Ueneres Cupidinesque'; V 'uiuamus, mea Lesbia, atque amemus'; VII 'quaeris quot mihi basiationes'. aperuerat autem amantibus domum suam, quo conuenirent exercerentque amores, Allius quidam, uir procul dubio nobili genere ortus [cf. LXVIII^b 50 et Westphalius p. 97]. cui amoris ueri florido cum breue per tempus indulsisset poeta, accidit ut frater eius acerbo fato raperetur. quo dolore perculsus Catullus siue patris orbati consolandi siue urbe re-

licta solitudinem petendi gratia Ueronam contendit. ubi quam longum per tempus commoratus sit incertum est; sed ut tempus, ita artis poeticae studium paulatim lenierunt saeuum eius dolorem. ipse autem unam tantum capsulam se Ueronam portasse secum [c. LXVIII[a] u. 36] innuit. quae quid continuerit facilis est coniectura. tunc enim Ueronae Catullus latine uertit Callimachi *πλόκαμον Βερονίκης* [c. LXVI] misitque praemissa epistula [c. LXV] Hortensio amico. iam sedata tristitia Romam rediturus scripsit ad Allium amicum in re incerta certissimum carmen LXVIII[b], quo, si illud 'super alta uectus Attis celerei rate maria' excipias, non grandius dulciusque tulit poesis Catulliana. quod carmen, quamquam nomine quidem ad Allium datum est, re uera tamen totum in Lesbiae laudibus exequendis uersatur. Allii enim amicitia perspecta officiosaque humanitas, qua ille amantibus miseris succurrit, iterumque preces pro eiusdem Allii coniugisque salute gratiarum loco susceptae quasi lineae sunt quibus includitur Lesbiae amoris et temporis dulcissimi a poeta cum ea peracti imago coloribus uiuidissimis depicta. ad Allium igitur primi tantummodo uersus decem [41—51] itidemque ultimi [149—160] spectant; mediis autem uersibus [51—149] Catullus ita suum cum Lesbia amorem describit ut utrum affectum suauissimum an summam artis poeticae perfectionem magis admireris nescias. nam huius descriptionis singulae partes tanta cum cura expolitae sunt ut, quamquam non usque ad uersuum numerum sibi respondent (ut bonum architectum, ita poetam non mediocrem interdum quaedam neglegentia atque *ἀσυμμετρία* decet), tamen gratam iocundamque earum aequabilitatem habeas. hac quoque in re quin Alexandrinorum uestigia presserit Catullus non potest dubitari. cum autem Westphalius [p. 73 sqq.] de huius carminis artificiosa compositione meras protulerit nugas (bene eas a Rettigio, Catulliana II p. 11 sqq., reiectas), meam libet proferre sententiam. initio autem carminis, ut iam dixi, ab Allii praedicatione [u. 41—

51] sumpto postquam triste illud quo nondum felix fruebatur puella amata tempus commemorauit, mox in melius illud mutatum aperta amantibus tamquam refugio Allii domo [51—70], iam Catullus Lesbiam cum Laudamia [u. 70—131] comparat. quae comparatio nullam aliam ob causam instituta quam ut profundus illius amor quam maxime reddatur illustris, ut carminis quasi domus interior est, ita in duas partes disciuditur interiecta fratris mortui commemoratione [uu. 91—101]. hos igitur uersus quasi pro intimo domus recessu habere licet. eo autem quod interposita de fratris morte acerba digressione Laudamiae historiam inceptam disrupit, hoc mihi uoluisse uidetur Catullus ut morte illa suum quoque cum Lesbia amorem olim diremptum esse significet. iam uero poeta ad carminis cursum institutum reuersus non potuit pertexere Laudamiae cum Lesbia comparationem nisi ita ut seruata partium aequabilitate triginta uersibus [70—101] opponeret triginta alteros [101—131]. itaque quod in hanc partem nonnulla intulit plane aliena quodque eam longius quam pro nostro qui nunc sumus gustu extendit, facile ex ista symmetriam seruandi necessitate excusabimus. depicto hoc modo Lesbiae amore iterum uiginti prope uersibus [131—149] ad ipsam dominam reuersus in tempore futuro [u. 136 feremus] depingendo commoratur seque utpote in muliere non iustis nuptiis secum iuncta non nimis rigidum et seuerum morum illius custodem fore affirmat. denique [u. 149—160] in Allio, ut initium, ita finem carminis facit. deprehendimus igitur hanc singularum partium responsionem:

40—51 (51—70 [(71—91) + (91—101) = 101—130]
131—149) 149—160.

Quid autem sibi uult carmen LXVIII[b] ad Allium ita datum et in gratiis Allio agendis ita uersatum ut tamen omnia ad unius Lesbiae laudes atque praedicationem contendant? nimirum Catullus Romam se reuersurum esse cum Allio, tum uero Lesbiae nuntiat. sed quominus misso carmine illo pergamus prohibent eius u. 135 sq.:

quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
rara uerecundae furta feremus herae.

habent enim haec uerba quod mirere. num Catullus iam ante Romae adhuc degens Lesbiae perfidiam expertus erat? talem sententiam ne sequamur uetat indolis naturaeque Catullianae contemplatio. ex quo enim tempore Lesbia ut olim uiro, ita amatori quoque fidem laeserat, hic licet reconciliatus numquam iniuriae a puella unice amata sibi inlatae adeo oblitus est ut carmina eundem quem c. II, III, V, VII amorem sincerum spirantia ad eam daret. talem autem amorem adhuc spirat illa carminis LXVIII[b] pars pulcherrimis quique uere oculos pascant coloribus sparsa, qua Lesbiam cum Laudamia contulit. quomodo nos haec inter se pugnantia iungemus? ita, puto, ut Ueronam rumorem de Lesbiae perfidia adlatum esse statuamus. haec igitur uersuum illorum euadit sententia: quamquam puellam meam audiui me uno non esse contentam, tamen Junonis instar illius furta patienter feram, modo famae parcat raraque peccet. sunt autem haec uerba ut eius qui rumores spernat neque ut ueros eos credat a se impetrare possit, ita eiusmodi ut ad fidem seruandam leniter uelint admonere. ceterum hoc quoque unde rumores istos acceperit Catullus, coniectura possumus adsequi. carmine enim LXVIII[a], quo Manlio amico respondet, u. 27 sqq. haec legimus:

quare quod scribis Ueronae turpe Catullo
esse, quod hic quiuis de meliore nota
frigida deserto tepefactet membra cubili,
id, Manli, non est turpe, magis miserumst.

in quibus uerbis nihil curamus interpretes uoculam 'hic' ad urbem Romam, unde scilicet Manlii epistula sit missa, referentes, cum non possit illa referri nisi ad id quod proxime praecedit 'Ueronae'. quam autem causam fuisse dicemus ut Manlius, uir amissa coniuge [uu. 1—6] tristitiae maerorique traditus, Catullum ne amplius degeret Ueronae adhortaretur, quippe quo in oppido mores adhuc antiqui uigerent neque

iuuenem urbis luxuriae uoluptatibusque assuetum ullae iuuarent deliciae? cuius equidem consilii non aliam uideo causam nisi hanc ut amicus amico quam celerrime Romam redeundi auctor existeret, cum Lesbiae animum ad alios amores inclinare uideret. tales hortatus si Manlii epistulae infuisse statuis, iam melius intellegitur Catulli responsum. — itaque trium carminum Ueronae scriptorum LXV, LXVIII[a] et LXVIII[b] haec est series: id quod medium optinet locum tum cum Catullus dolori saeuissimo tam cari capitis adempti plane indulgeret, primum autem tum cum et tempore et poesis [c. LXVI] exercitatione dolor ille paulum posuerat, ultimum denique tum cum consilium Romam redeundi poeta agitaret compositum est.

Sed istos de Lesbia rumores, quos Ueronae aspernatus erat, ueros esse Romam reuersus Catullus non sine acerbo dolore agnouit. cum enim puellam ut more solito conuenirent rogasset, illa recusauit. tum uero poeta ira atque indignatione correptus carmen VIII ad eam misit:

miser Catulle, desinas ineptire
et quod uides perisse perditum ducas.
fulsere quondam candidi tibi soles,
cum uentitabas quo puella dicebat
amata uobis quantum amabitur nulla.
ibi illa multa tum iocosa fiebant,
quae tu uolebas nec puella nolebat:
fulsere uere candidi tibi soles.
nunc iam illa non uult: tu quoque, inpotens, noli
nec quae fugit sectare nec miser uiue,
sed obstinata mente perfer, obdura.
uale, puella; iam Catullus obdurat
nec te requiret nec rogabit inuitam:
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.
scelesta, uae te! quae tibi manet uita!
quis nunc te adibit? cui uideberis bella?
quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis? cui labella mordebis?
at tu, Catulle, destinatus obdura!

quo de carmine nemo fere recte iudicauit. scriptum autem esse illud a Catullo Romam reduce ostendit cum beati illius temporis in Allii domo peracti [u. 4—8] recordatio, in quo praedicando etiam id quod tempore proxime antecedit c. LXVIII[b] multum est, tum uero temporis praesentis et praeteriti oppositio. cum enim u. 3 'quondam' et u. 9 'nunc' legamus, nostro iure ubinam per medium tempus poeta sit commoratus quaerimus. cui quaestioni non uideo equidem quomodo aliter queat responderi quam ut iter Ueronense medio illi tempori attribuamus. ceterum mirum est quantas de uersibus illis nugas protulerit Riesius, qui ex carminibus VIII, XXXVII et LVIII haec concludit [p. 752]: 'dies Alles zeigt das Bild grosser Dürftigkeit; es ist die nur durch des Dichters glühende Liebe früher idealisirte Existenz einer femme entretenue, die nun, nachdem ihr Beschützer sie verlassen, der äussersten Noth und dem tiefsten Verkommen anheimfiel'. atque de c. XXXVII et LVIII postea uidebimus: quod ad carmen supra adlatum attinet, quaeras ex Riesio num legere et intellegere didicerit. nam uerbis illis [u. 9] 'nunc iam illa non uult' hoc luce fit clarius, non Lesbiam a Catullo, sed Catullum a Lesbia fuisse desertum. deserere autem atque fugere amatorem cupidum eundemque diuitem, num meretriculae est egenae? et quam inepte ad talem feminam dati essent uersus isti 'quis nunc te adibit? cui uideberis bella?' eqs! quae loca quasi clamant ridiculam illam de Lesbiae condicione meretricia opinionem furcilla esse expellendam. ceterum uersiculi 16—18, siqui alii, hoc etiam ostendunt carmen octauum eo tempore esse scriptum, quo Catullus nondum alios Lesbiae amatores tamquam aemulos impugnare erat coactus. nam si iam antea alium quendam a Lesbia in amore sibi praelatum cognosset, numquam hercle uersus illos adiecisset. quos non potuit mittere nisi ad matronam scilicet honestam (quam quidem putabat), cui certi quos transilire non licuit fines obiecti essent quaeque, utpote uiro inamato nupta, amatore misso iam

uitam tristem actura uideretur. nimirum quanam de causa a Lesbia desertus sit Catullus adhuc nesciit: cuiuis autem rei quam puellae perfidiae adscribere uoluit discidium. — itaque meo mihi iure carmen octauum proximo post poetae Romam reditum tempori attribuere uideor. ceterum ita rectissime de illo iudicauit Hauptius [obs. crit. 2, 3]: 'in hoc dulcissimo carmine dum se reuocat poeta a misero amore, non tamen omnem spem recuperandi ea quae perierunt ita abiecit ut abiecisse uideri uult, nec tam obstinata mente obdurat quam de se praedicat. quare multus est in describenda relictae a se [?] puellae tristi solitudine atque in fine carminis iterum sese ut obduret adhortatur'.

Mox, ut iam supra dixi, ueram qua Lesbia ab eo alienata est causam poeta perspexit: nimirum absentis amatoris oblita alterum in eius locum illa adsciuerat. cum autem non pauca Catulli carmina in aemulis quos iam abhinc in Lesbiae amore habuit exagitandis atque uexandis uersentur, nullum tamen uehementiorem, mihi quidem ut uidetur, dolorem prae se fert quam carmen LXXVII:

Rufe, mihi frustra ac nequiquam credite amice
    (frustra? immo magno cum pretio atque malo),
sicine subrepsti mi atque intestina perurens
    ei misero eripuisti omnia nostra bona?
eripuisti, eheu nostrae crudele uenenum
    uitae, eheu nostrae pestis amicitiae.

quibus uersibus erant qui omnino negarent aemulum quendam tangi, cum tamen uerba 'omnia nostra bona' quonam alio quam ad Lesbiam referri possint non uideam. itaque Rufum quoque Lesbiae fuisse amatorem mihi quidem certissimum est. eripiendi autem uerbum non potuit adhiberi nisi de eo qui primus Lesbiae erga Catullum fidem temptauerit. quo enim iure, amabo, si Rufum secundum uel tertium uel quartum post Catullum habuit Lesbia lectuli socium, vocabulo isto poeta utebatur? Rufum igitur eum fuisse censeamus opor-

tet qui absente illo Lesbiae sibi conciliarit amorem. cui coniecturae meae egregie fauet obseruatio altera. ut enim omnes homines per aliquod tempus certa uocabula certasue locutiones prae aliis habemus in deliciis, mox abicimus nouisque locum damus, ita Catullum quoque per certum aliquem temporis tractum uidemus certis uerbis usum in eisque iterum iterumque repetendis admodum delectatum esse. hinc nobis, qui carmen LXXVII non multo tempore post LXVIII[b] scriptum esse sumimus, eo quod ibi quoque u. 158 uerbis 'omnia bona' Lesbia significatur non parum accedit auxilii. — hoc autem Catulli in aemulis quos postea complures erat habiturus impugnandis apparet artificium ut eos uel ob corporis mendas ridiculos redderet uel ob morum prauitatem contemptui daret. tanto enim mulieris deperditae amore incensus erat ut numquam abiceret spem fore ut ad bonam illa rediret frugem. cuius artificii specimen exhibent carmina LXIX, quo Rufo hircus facete exprobratur, et LVIIII, quo cum despectissimae condicionis muliere rem habere insimulatur idem.

Ceterum ut carmine VIII, ita LVIIII et LXIX poeta id quod uoluit consecutus est: nam Lesbia Rufo misso ultro in gratiam cum illo rediit; cf. c. CVII:

> si quoi quid cupido optantique obtigit unquam
> insperanti, hoc est gratum animo proprie.
> quare hoc est gratum, quouis quoque carius auro,
> quod te restituis, Lesbia, mi cupido.
> restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te
> nobis, o lucem candidiore nota!
> quis me uno uiuit felicior aut magis hac res
> optandas uita dicere quas poterit?

quod carmen gaudio Lesbiae sibi restitutae recenti poetam scripsisse patet. paulo enim post non sine acerba quadam illius perfidiae memoria ut persistat in fide admonet puellam carmine CIX.

Quod modo de eorundem uocabulorum locutionumue in Catulli poematis eodem temporis spatio compositis repetitione dixi, ita potest in partes uocari ut etiam carmen XXXVI ad Lesbiam non multum post datum esse demonstretur. quod ita se habet:

Annales Uolusi, cacata charta,
uotum soluite pro mea puella.
nam sanctae Ueneri Cupidinique
uouit, si sibi restitutus essem
desissemque truces uibrare iambos,
electissima pessimi poetae
scripta tardipedi deo daturam
infelicibus ustulanda lignis.
et hoc pessima se puella uidit
iocose lepide uouere diuis.
nunc, o caeruleo creata ponto,
quae sanctum Idalium Uriosque portus
quaeque Ancona Cnidumque harundinosam
colis quaeque Amathunta quaeque Golgos
quaeque Durrachium Adriae tabernam,
acceptum face redditumque uotum,
si non inlepidum neque inuenustumst.
at uos interea uenite in ignem,
pleni ruris et inficetiarum,
annales Uolusi, cacata charta.

iam uerba [u. 4] 'si sibi restitutus essem' qui cum illis c. CVII, 4 'quod te restituis, Lesbia, mi cupido' contulerit is non ibit infitias puellam c. XXXVI laudatam Lesbiam esse omnes habere probabilitatis numeros. — Lesbia igitur, si Catullus sibi restitutus esset, tum uero pessimi poetae scripta pessima Uolcano se daturam uouerat. quod sane iocose ac lepide uouerat. nam pessimum poetam aut ego egregie fallor aut ipsum uoluit esse Catullum eadem usa ambiguitate qua Horatius [sat. II 1, 82 sqq.] 'malum carmen' dixit, scilicet ut tamquam maledicentissimum eum perstringeret qui tam truces iambos, puta carminis octaui, in illam uibrauerat. Catullus autem cum bene illius leporem perspiceret, quasi ue-

scius esset in sua carmina intendi crimen, iocose ut ad puellam iocosam Uolusii, poetae re uera pessimi, annales uotum pro illa soluturos esse rescripsit.

Huic porro tempori uindicandum est c. LXX:

> Nulli se dicit mulier mea nubere malle
> quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
> dicit; sed mulier cupido quod dicit amanti
> in uento et rapida scribere oportet aqua.

quaeritur autem quomodo u. 2 nubendi uerbum sit accipiendum. quod enim poeta Lesbiam mulierem suam appellat, illud dicendi genus sequitur quo amatores puellis blandientes speciosa dare nomina solent. ut autem hoc ipsum mulieris uocabulum non minus atque id quod sequitur 'si Iuppiter ipse petat', ita amoris qui inter illos intercessit contemplatio nos uetant quominus nubendi uerbum translate positum putemus, quasi Lesbia tum primum se dare amatori uoluerit. itaque non de innuptis ut aiunt, sed de ueris nuptiis Lesbiam cogitasse censendum est. unde eius maritum tum temporis non iam inter uiuos fuisse comperimus. hinc autem simul intellegitur non posse c. LXX ante LXVIII^b scriptum esse, quippe quo [u. 146] mariti illius tamquam uiui fiat commemoratio. porro cum neque ultimo in Catulli et Lesbiae amore tempori c. LXX possit attribui, quippe ad quod aperte c. LXXII 'dicebas quondam solum te nosse Catullum' respiciat, proxime post amantium reconciliationem illud compositum statuemus. — ceterum Catullus, qui a Lesbiae fide suo iure male timeret, uersibus supra adlatis a nubendi consilio illam demouere uoluisse uidetur.

Quod Lesbia cum in gratiam rediret cum poeta promiserat aeternum hunc fore amorem [c. CIX], id non sincere neque ex animo promiserat. mox enim iam non uno aut altero moecho contenta omnibus uulgare corpus coepit. parum quidem interest scire qua serie atque ordine nouis illa uacauerit amatoribus; uidetur tamen Gellius praecipue iterum

Catulli turbasse amorem [cf. XCI u. 5 et 6]. certe Gellium omnium uehementissime plurimisque carminibus poeta inuehitur. praeterea Egnatium [c. XXXVII et XXXVIIII], Rauidum [XXXX], Lesbium [LXXVIIII], Quintium [LXXXII] ut Lesbiae adulteros insequitur. quos enumerasse sufficit, cum ab huius quidem disputationis proposito alienum sit in his sordibus diutius commorari. uno tantum de carmine paulo copiosius mihi agendum est. inde enim quod Lesbiam tam abiecte se gessisse uident, nonnulli Riesii de meretricia illius condicione opinioni forsitan patroni extiterint. bene autem distinguendum est inter feminam quae corpore faciat quaestum et eam quae effrenata libidine acta omnibus sese prostituat. ei autem qui ceteros qui amores cecinerunt poetas latinos, puta Ouidium Tibullum Propertium, bene habent cognitos, non ignorant quam multi sint illi in querelis de puellarum suarum assiduis nimiisque postulationibus. ipse quoque Catullus, cum postero tempore alios sectaretur amores, carmine XXXXI enormi pretio Ameanam sese uendituram eese acerbissime queritur [cf. et CX]; sed in tot poematis ad Lesbiam datis de hac re ne unicum quidem uerbum reperitur. neque quidquam ad stabiliendam sententiam Riesianam ualet c. XXXVII:

Salax taberna uosque contubernales,
a pileatis nona fratribus pila,
solis putatis esse mentulas uobis,
solis licere, quidquid est puellarum,
confutuere et putare ceteros hircos?
an, continenter quod sedetis insulsi
centum an ducenti, non putatis ausurum
me una ducentos irrumare sessores?
atqui putate: namque totius uobis
frontem tabernae scorpionibus scribam.
puella nam mi, quae meo sinu fugit,
amata tantum quantum amabitur nulla,
pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
consedit istic. hanc boni beatique
omnes amatis, et quidem, quod indignumst,

omnes pusilli et semitarii moechi;
tu praeter omnes, une de capillatis
Celtis, uerose Celtiberiae fili,
Egnati, opaca quem bonum facit barba
et dens Hibera defricatus urina.

tantum enim abest ut cum Riesio summae egestatis imaginem in his uersibus agnoscam, ut plane contrarium ex eis eliciam sensum. nam cum Catullus summa cum indignatione contubernalibus hoc obiciat quod ipsi sint moechi pusilli et semitarii, quid aliud hinc sequitur quam Lesbiam non fuisse prostibulum semitarium? quae quia erat puella nobilis, idcirco 'boni beatique' illa fruebantur qui alias abiectissima sectabantur scorta. — idemque de carmine XI dicendum est. quod licet ad plane alium carminum *κύκλον* referendum sit, ut bene euicit Westphalius [p. 202], tamen uno uerbo commemorabo eius uersus 16—20 'cum suis uiuat ualeatque moechis, quos simul complexa tenet trecentos, nullum amans uere, sed identidem omnium ilia rumpens' nihil omnino quo de meretrice cogitare cogamur continere, immo omnia ut feminae nobilis iuuenum amatorum caterua stipatae mente nobis formemus imaginem suadere.

Itaque hoc mordicus tenendum est Lesbiam nobili loco fuisse ortam neque uero paupertate adactam, sed una solaque libidine furiatam ex matrona honesta paulatim euasisse eam quae scorti uilissimi more modoque uiueret.

Ut autem in uiam redeamus, Catullus, postquam neque Lesbiam a uita impudica desistere et omnem suum in eius moechis impugnandis laborem frustra esse susceptum intellexit, tandem admonentibus amicis eam deseruit. quod quam aegre ille a se impetrarit quamque intimo eius cordi mulieris corruptissimae amor insederit, demonstrat carmen LXXVI, quo, quod ad affectuum altitudinem attinet, pauca tulit antiquitas praeclariora. uidetur autem Caelius quidam Ueronensis maxime adhortatus esse poetam ut amorem indignum abrumperet.

cf. c. C [u. 5 sqq.]: 'cui faueam potius? Caeli tibi. nam tua nobis per facta exhibita est unica amicitia, cum uesana meas torreret flamma medullas'. ad Caelium denique missum est c. LVIII, quo poeta summum suum puellae ad explendam libidinem plane se proicientis contemptum declarat.

En habes, lector beneuole, amoris qui inter Catullum et Lesbiam intercessit decursum ita descriptum, quemadmodum omnibus quae in hac quaestione momentum faciant causis diligentissime perpensitatis mihi quidem semper describendus est uisus. neque ueremur ne is qui longa poetae consuetudine in eius naturam indolemque penitus sese insinuauerit talem qualem mente concepi amoris illius imaginem a rerum natura esse alienam iudicaturus sit. quod autem nonnulla carmina [LXXXVI. LXXXXII] plane ab hac disputatione exclusimus, quippe quae cui in amore illo tempori sint danda nondum mihi plane constet, id facile condonabitur; nam ad summam quaestionis illa nullius sunt momenti.

Pauca de Lesbiae ingenio addenda restant. facetam lepidamque eam fuisse iam ex eis quae supra de c. XXXVI monui apparet. uersibus autem pangendis calluisse eandem narrat Sidonius Apollinaris [ep. II 10 p. 900 Sirm.]: 'reminiscere quod saepe uersum Corinna cum suo Nasone compleuit, Lesbia cum Catullo'. quod testimonium cur in dubium uocemus nulla adest causa. neque hercle Lesbiae potissimum nomine ficto puellam suam adornasset Catullus, nisi studiis ea poeticis dedita fuisset [cf. Schwabius quaest. Cat. p. 77 sqq.].

Iam, quod sane quam maxime attinet scire, quibus uitae suae annis Catullus Lesbiam amauerit explorandum est. qui cum ex Bithynia, quo a. 57 a. Chr. cum Memmio propraetore profectus erat, in Italiam esset rediturus, fratri in Troade apud Rhoeteum promunturium sepulto extrema munera soluit. cum autem illud quod tum in fratris tumulo scripsit carmen CI, etsi amorem mortui tenerrimum prae se fert, tamen quam longissime absit ab ea doloris saeuitia quam c.

LXV, LXVIII[a] et LXVIII[b] recenti adhuc plaga composita ostendunt, facile est coniectatu inter id tempus quo Catulli frater obiit et iter Bithynicum intercessisse aliquot quibus dolor iste lenitus mitigatusque sit annos. hinc anno fere a. Chr. n. sexagesimo fratrem ex uiuis excessisse licet statuere. itaque paulo ante hunc annum Catulli cum Lesbiae amorem coepisse consectarium est. finisse autem eundem ante iter a poeta in Bithyniam susceptum accuratior uitae eius posterioris contemplatio docet.

His ita expositis de Lesbiae persona agedum uideamus. nam fictum esse illius nomen cum per se pateat, tum testimonio constat Ouidii [trist. II 427 sq.]: 'sic sua lasciuo cantata est saepe Catullo femina, cui falsum Lesbia nomen erat'. uerum autem feminae nomen tradit Apuleius [apol. 10] 'eadem opera accusent C. Catullum quod Lesbiam pro Clodia nominarit'. hinc iam ex prioribus editoribus Uictorius, Muretus aliique, nostra aetate, ut iam initio huius capitis dixi, Hauptius Schwabiusque eam Clodiam istam quadrantariam fuisse sumpserunt. de huius autem uita moribusque accuratius agendi gratiam nobis facit diligens ac subtilis Schwabii disputatio [p. 56 sqq.]. itaque perbreuiter argumenta componam quibus adductus sententiam a uiris illis doctis prolatam unice ueram puto.

I. Et Lesbia et Clodia quadrantaria nobili loco ortae erant.

II. Clodia nupta erat Q. Metello Celeri (cons. a. 60), qui anno 59 medio mortem obiit: Lesbiae quoque maritum idem fere circa tempus e medio cessisse ex eis quae de carmine LXX quaeque de amoris Catulliani tempore disseruimus ueri fit simile.

III. anni 59 initio Clodia a M. Caelio Rufo oratore amari coepta est: Catulli Lesbia cum Rufo quodam rem habuit idque eo tempore quo Catullus fratre orbatus Ueronae degit, id est, paulo post a. 60.

IIII. Catullus c. LXXIX Lesbiam Lesbium quendam cunnilingum sibi praetulisse dicit:

> Lesbius est pulcher: quid ni? quem Lesbia malit
> quam te cum tota gente, Catulle, tua.
> sed tamen hic pulcher uendat cum gente Catullum,
> si tria notorum sauia reppererit.

'si Lesbiae nomen uerum est Clodia, uerum Lesbii nomen Clodius fuerit necesse est' [Schwabius p. 135]: Clodiam quadrantariam et cum P. Clodio fratre incestum fecisse et Sex. Clodium gentilem turpissimae libidinis, quam Graeci *γλωσσοποιεῖν* uocabulo significant, explendae habuisse administrum ex Cicerone [Schwabius p. 62 et 90] scimus. — ceterum Schwabio P. Clodium fratrem a Catullo Lesbii nomine ficto carpi censenti recte oblocutus est Riesius. multo autem melius intellegitur illud 'quam te cum tota gente, Catulle, tua', si Sex. Clodium gentilem a Catullo dici statuimus. et hic tantum, non P. Clodius, ut Clodiae cunnilingus a Cicerone notatur.

V. Lesbiae imago a Catullo exhibita plane congruit cum ea quam de Clodiae uita libidinosa in Caeliana depingit Cicero.

Itaque argumentis sat tutis stabilita et ad eum probabilitatis gradum, ad quem tales quaestiones adducere possumus, adducta mihi uidetur uirorum doctorum sententia unam candemque feminam esse Lesbiam Catullianam et Clodiam quadrantariam censentium*).

---

*) nonnulla quae sententiae illius impugnatores protulerunt sciens prudensque omisi; ueluti quae Riesius de Rufo et Caelio Catullianis disputauit. nam eos duos esse homines plane diuersos facile unusquisque intellegit. neque uero refutatione dignum est quod Broukhusius ex c. LXVIII u. 142 de Lesbiae patre conclusit; nam locus ille ut aperte lacunosus ita corruptus est.

II.

De libri Catulliani fatis.

Catulli libellus quam sit studiose lectitatus cum ab omnibus deinceps poetis, tum ab eis qui aetate Augustea Messallae potissimum auspiciis ad poesin auspicati sunt quorumque opuscula catalecton nomine ad nos peruenerunt hodie notum est. quamquam hominum doctorum potius quam uulgi manibus tritus ille uidetur; certe in inscriptionibus Pompeianis nullum ex eo uersiculum deprehendi, nisi quod illud 'atractis pedibus' [1261 in Zangemeisteri sylloga] fortasse ex Catullo [XV 18] sumptum esse statuere licet. grammaticos quoque non mediocrem operam in eius carminibus posuisse ex numero haud paruo uersuum Catullianorum ab illis data occasione adlatorum elucet. quos uersus dum perlustro, illud mirum et adnotatione sat dignum mihi est uisum quod ei grammatici qui ante Gellium uixerunt haud raro poetae uerba multo emendatiora praebent quam nunc ea in codicibus nostris leguntur, cum contra Gellio posteriores plerumque easdem quas archetypus Ueronensis corruptelas exhibeant. nam quod ad rei metricae attinet auctores, Atilium Fortunatianum Marium Uictorinum Terentianum Maurum, propterea quod ex communi fonte — puta Caesium Bassum — hauserunt, eis qui Gellio sunt priores adnumerari debent. idem de Charisio et Prisciano statuendum est. iam ipse autem Gellius [VI 20] Catulli exemplaria mendose circumferri testatus est; cf. Hauptius in indice lect. Berol. aest. 1857.

Duobus autem exemplis potest certo demonstrari eam quae exemplar Ueronense insedit deprauationem iam tertio quartoque p. Chr. n. saeculo maximam partem optinuisse. primum enim Hyginus*) [astron. poetic. II 24] haec scribit: 'sunt aliae septem stellae ad caudam leonis in triangulo conlocatae, quas crines Berenices esse Conon Samius mathematicus et Callimachus dicit. cum Ptolomaeus Berenicen, Ptolomaei et Arsinoes ['aristonis' codd.] filiam, sororem suam, duxisset uxorem et paucis post diebus Asiam oppugnatum profectus esset, uouisse Berenicen, si victor Ptolomaeus redisset, se crinem detonsuram. quo uoto dampnatam crines [ita scripsi: 'crinem' codd.] in Ueneris Arsinoes Zephyritidis posuisse templo eosque postero die non comparuisse. quod factum cum rex aegre ferret, Conon [ita ego: 'Conon mathematicus' codd. ex glossemate] cupiens inire gratiam regis dixit crinem inter sidera collocatum uideri et quasdam uacuas a figura septem stellas ostendit, quas esse fingeret crinem. hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere et ad Olympia mittere consuetam fuisse. alii dicunt hoc amplius, Ptolomaeum Berenices patrem multitudine hostium perterritum fuga salutem petisse, filiam autem saepe consuetam insiluisse in equum et reliquam copiam exercitus constituisse et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit'. in quibus uerbis Hyginum illa perquam mira 'hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere' excripsisse ex Catulli [LXVI 54] uerbis ita in Ueronensi deprauatis 'obtulit Arsinoes Locridos alis equos' non fugit Hauptii [quaest. Catull. 84] acumen. eaque res tam clara atque aperta est ut subeat mirari nuperrime Ottonem Schneiderum in Callimacheis [II p. 151] ad contortas interpretationes confugere quam sim-

*) de eius aetate uidendus Bursianus in Fleckeis. annal. a. 1866 p. 773. ex eiusdem uiri docti collationibus humanissime suppeditatis caput Hygianeum emendatum adscripsi.

plicem ueritatem agnoscere maluisse. et satis mihi constat Hyginum doctrinam iactandi causa Callimachi nomen ubique posuisse, cum carminis Callimachei notitiam ex una Catulli uersione hauserit. non urgeo illud 'magnanima' e Catullo [u. 26] sumptum: duo certissima, nisi fallor, lectionis Catullianae uestigia adsunt, nempe uerba 'Asiam oppugnatum profectus esset' (= u. 13 'uastatum finis iuerat Assyrios') et 'si uictor Ptolomaeus redisset' (= u. 35 'si reditum tetulisset'). nam cetera quae narrationi inseruit ex doctorum in Catullum commentariis Hyginum petisse puto.

Alterum exemplum praebet scholiasta Bernensis, qui haec ex Iunilii [cf. Hagenus p. 703] commentariis sumpta ad Uerg. Ge. IV 289 [p. 971] exhibet: 'Phaselis, genus nauium pictarum. sicus phasillus ille quem agiunt auctorem esse nauium calaetarum ('celaturum' Bern. 167), quem habuit hospes Serenus'. et ita quidem codices. qui locus postquam infeliciter ab editoribus tractatus est, non multo felicius ab Hauptio [Herm. IV p. 334 sq.] temptatus est ita 'sicut phaselus ille quem ait auctor esse nauium celerrimum', quamquam rectissime ille restituit 'celerrimum'. in eo enim quod traditum est 'quem agiunt' nil latet nisi 'quem aiunt'; illud autem 'auctorem' inepto a librario inculcatum esse pro certo habeo. haec igitur restituo 'sicut phaselus ille quem aiunt esse nauium celerrimum'. ita autem apud Catullum corrupte legitur in Ueronensi 'aiunt fuisse nauium celerrimum'. quod adiecit Iunilius 'quem habuit hospes Serenus', eius rei itidem ille ex commentario quodam in Catullum composito notitiam sumpsit.

Hoc igitur tenendum est Catulli librum iam exeunte antiquitate fere eadem qua in Ueronensi corruptione affectum fuisse. uidetur autem condicionem eius deploratam miseratus grammaticus quidam (Symmachorum fortasse aetate) ei emendando studuisse. certe clara apertaque critici cuiusdam signa etiamnunc supersunt. LI u. 1 *V* haec habet 'ille mihi

impar esse deo uidetur'; quod uitium aperte inde ortum est quod in uerbis leniter corruptis 'ille impar' aliquis super 'im' litteris scripserat 'mihi'. — XXXVIII 1 'malest' in *V* corruptum est 'male est si', quae corruptela nata est ex correctura non intellecta 'male $\overset{\text{est}}{\text{si}}$'. — LXXIII 4 in uerbis 'taedet obestque magis' librarius aliquis geminata copula praue 'obestque magisque' scripserat: quod *V* 'obestque magisque magis' tradit, nil aliud est nisi emendatio 'obestque $\overset{\text{magis}}{\text{magisque}}$ itidem non perpecta. hinc porro mirum quoddam corruptelae genus in *V* obuium suam habet explicationem. leguntur c. LVII 9 'socii et puellularum', LXIII 10 'tauri et teneris' XCVI 1 'mutis et gratum' quibus locis 'et' uocula cum egregie abundet non habemus tamen unde eam in uerborum contextum inuectam esse dicamus. itaque primitus 'societ tauret mutets' (scilicet ex 'sociei taurei muteis' corrupta) uidentur scripta esse. quae cum grammaticus iste superscripta 'i' littera correxisset, quid hoc sibi uellet non animaduertit qui exemplar correctum ad nos propagauit. — ex his exemplis, quae augeri fortasse possunt, libri Catulliani emendatorem in leuioribus fere rebus maximeque orthographicis substitisse apparet. neque admodum aequabilis illius opera erat: nam orthographiae antiquae uestigia multa reliquit intacta. quae huc pertinent loca plurima cum a uiris doctis et animaduersa et sanata sint, pauca tamen restant. c. LXVI 58 egregie intellexit Lachmannus pro scriptura in *V* tradita 'gratia' reponendum esse 'Graia'. sexcentis autem locis cum 'graius' uox in 'gratus' abierit, ubi 'graia' in 'gratia' mutatum sit uix inuenies. unde ego 'Graiia' scribendum censeo; qua de scriptura cf. O. Ribbeckius proleg. in Uerg. p. 138 et 426; A. Fleckeisenus in annalibus suis a. 1873 p. 406. — c. VI 3 'uelles dicere nec tacere posses' ratio grammatica, quod non fugit Heinsium, 'uelis' et 'possis' flagitat. hic quoque error prouenit ex scriptura antiqua 'ueleis' et 'posseis'. — etiam c.

XXIII 23 aperte legendum est 'non umquam digitum inquinare posseis'. — nam quam saepe priscum illud 'ei' a librariis male sit habitum, nunc quidem non ignoratur. c. LXIII 1 legendum est 'super alta uectus Attis celerei ('celere' *codd.* 'celeri' scriptores metrici) rate maria'. — c. LXVIII 155 *V* tradit 'satis felices', unde 'seitis' restituendum est; itidemque XXXIV 21 'seis (scis *V*) quocumque tibi placet'. — et haec quidem hactenus; nam num ad grammaticum illum referendum sit lectionis illud monstrum 'guioclero' c. LXVI u. 6, adhuc ferme dubito; est autem id natum, nisi fallor, ex duplice lectione 'cero' [l. guro] latetque in 'cero' illo 'gero', id est, 'goero'; qua de scriptura cf. L. Muellerus [comm. Lucil. p. 322].

Sed his relictis iam ad grauissimam quae est de Catulli codicibus quaestionem me uertam. cum autem quod Hauptii et Schwabii de archetypo Ueronensi disputationibus diligentissimis adiciam nunc quidem non habeam, statim de librorum mss. qui nunc nobis suppetunt pretio atque auctoritate disseram. priores autem editores cum hanc uiam in emendando libro Catulliano inierint ut sine ullo discrimine codicum lectiones modo has modo illas arriperent, nostro saeculo primus extitit Carolus Lachmannus qui ex ingenti librorum mss. copia duos eligeret tamquam tutissimos quos in constituendis poetae uerbis sequeretur duces, Datanum et Santenianum. qui libri utpote non minus quam ceteri fere omnes interpolati quod nunc plane abiciendi sunt, non ipsi Lachmanno uitio uertendum est. nam post eius demum editionem codex omnium antiquissimus Sangermanensis a. 1375 scriptus [de quo cf. Schwabius praef. Catull. p. VIII sq.] innotuit. huius potissimum auxilio Lud. Schwabius haud paucis locis archetypi Ueronensis scripturas multo certius quam Lachmanno pro librorum suorum recentissimorum indole licuit redintegrauit. post Schwabium Catullum cum plenissima lectionis uarietate edidit R. Ellisius Anglus. qui ut alios libros

adhuc ignotos, ita codicem Oxoniensem [Canonicianum 30] ita adhibuit ut tamen summam eius in crisi Catulliana auctoritatem minime perspiceret, tandem igitur nos hac commentatione ostendemus duobus tantum codicibus, scilicet Oxoniensi et Sangermanensi, propagatum esse archetypum Ueronensem.

Summum autem libri Oxoniensis [*O*] pretium uel eo apparet quod solus fere eodem tempore, scilicet exeunte saec. XIV, quo Sangermanensis [*G*] scriptus est. ceteri omnes libri (septuaginta fere numero sunt) cum saec. XV, hoc est eo tempore quo docti Itali ueluti frenis inmissis corrigendis antiquis auctoribus nauarunt operam, exarati sint, per se iam apparet secundarii tantum pretii ad reciperandas archetypi Ueronensis [*V*] lectiones esse*).

Sed ut statim appareat tandem suo honori restituendum esse Oxoniensem, afferam exempla quaedam ex carmine LXII petita, quod in Thuaneo quoque [*T*] saec. X seruatum esse constat. omitto ibi u. 3 ***TO*** ‘pinguis’, ***GD*** autem ‘pingues’ praebere: multo maioris ad quaestionem nostram momenti est u. 8, ubi ex scriptura in ***T*** obuia ‘siccer tes i’ recte uiri docti fecerunt ‘sic certest’. ***O*** autem cum ***T*** ita consentit ut paulo rectius ‘sic certe si’ praebeat. sed enim ***GD*** ‘sic certe’ omisso illo ‘si’ habent. iam hinc, cum de interpolatione in ***O*** nulla pacto cogitari queat, ***O*** multo fidelius archetypum nobis reddere putandum est quam ***G D***, quippe in quibus uocula sensu cassa omissa sit. — porro u. 40 ‘ignotus pecori, nullo conuolsus aratro’ legitur in ***T***: ***G D*** pro ‘conuolsus’ exhibent ‘contusus’, ***O*** autem ‘conclusus’. hoc autem ’conclusus’, cum proxime absit ab illo ‘conuolsus’ — nempe olim ‘co[ol]nusus’ fuit exaratum —, in *V* extitisse plane credibile est, ‘contusus’ autem ex qualicumque coniectura repositum esse. — tum u. 63

---

*) consentientes deteriorum codicum omnium lectiones ***D*** siglo notaui; *d* posui, ubi unum aut duos ex eis opposui reliquis.

T 'tertia patris pars est data tertia matri', *O* autem 'tercia pars patri est data tercia matri' legunt, unde uera lectio 'tertia pars patri, pars est data tertia matri' facile nascitur. iam uide mihi quam longe ab *O T* recedant *G D* haec praebentes 'tertia pars patri data, pars data tertia matri'. quis autem in his non agnoscit interpolatoris manum? — denique u. 12 *T* legit 'adspicite innuptae secum ut meditata requaerunt', *G D* 'aspicite innuptaeque secum ut meditare querunt'. intellegitur autem miri illius 'innuptaeque' origo ex scriptura ab *O* suppeditata 'innuptae quaerunt secum ut meditare quaerunt'. itaque in *V*, quem iterum *O* accuratius repraesentat, dittographe illud 'quaerunt' exaratum fuit: in *G D* uitium intellectum quidem, non recte tamen sanatum est.

Cum autem *O* in carmine LXII longe pluribus locis cum *G D* quam cum *T* faciat — ueluti omittit cum illis u. 14 —, ne *O* ex alio fonte quam ex ipso *V* fluxisse statuamus uetamur. quattuor igitur locis *O* ita cum *T* potius quam cum *G D* consentit ut interpolationis suspicio procul remouenda sit ab illo. et hercle tot librarii erroribus leuidensibus *O* inquinatus est ut eius scribam linguae latinae parum gnarum fuisse facile perspiciatur. multis autem exemplis potest demonstrari eum archetypi ductus quasi depinxisse; ueluti litterulas 'r' et 's' in scriptura langobardica inter se simillimas saepissime confudit; cf. c. LXI 42 'citaries' (citarier) 70 'comperaries' (compararier). ut plane quod sentio dicam, uidetur mihi *O* inter libros Catullianos eundem locum optinere quem codex Upsaliensis nuper a me in lucem protractus inter Panegyricorum latinorum codices: nimirum *O* unus solusque liber nunc quidem est qui omni a parte ab interpolationis labe inmunis sit.

Quibus expositis iam, puto, de libri *O* pretio mihi concedetur. ut autem in c. LXII, ita in reliquis Catulli poematis sat multi inueniuntur loci quibus *O* uel uerum ipsum uel

certe ueri uestigia contra *G D* seruauit. excripsi eos locos, quibus res aperta est, totos, ni fallor, ex Ellisii apparatu:

V 8 'deinde mille altera deinde secunda centum' *O d*: 'deinde mi altera da secunda centum' *G D*.

XIII 16 'non non hoc' *O d*: 'non non haec' *G D*.

„ 18 'curram' *O d*: 'cur tam' *G D*.

XVII 15 'et' *O d*: 'ut' *G D*.

„ 25 'derelinquere' *O*: 'delinquere' *G D*.

XXIV 4 Midae dedisses] 'mi dededisses' *O*: 'mi dedisses' *G D*.

XXVI 1 'uillula uostra' *O*: 'uillula nostra' *G D*.

XXVIII 12 'uerpa' *O d*: 'uerba' *G D*.

XXIX 19 'scit' *O*: 'sit' *G D*.

XXX 11 'idem' *O d*: 'inde' *G D*.

XXXI 4 'libenter' *O d*: 'libente' *G D*.

XXXVI 14 'colis quaeque' *O*: 'colisque' *G D*.

XXXIX 2 'sei' *O d*: 'seu' *G D* (sed *d*).

XLIV 11 'oratione minantium petitorem' *O*: 'orationem minantium petitorum' *G D*.

XLV 1 'Septimios' *O*: 'septimos' *G D*.

„ 9 'dextram st. approbationem' *O*: dextra st. approbatione' *G D*.

LV 7 'prendi' *O*: 'prehendi' *G D*.

„ 11 'quaedam' *O d*: 'quendam' *G D*.

LVII 7 'uno in lecticulo' *O*: 'uno in lectulo' *G D*.

LVIII 5 magnanimi Remi] 'magna amiremini' *O*: 'magna admiremini' *G D*. archetypi *V* scriba inuenerat
ni
'mangnamiremi'.

LIX 1 'fellat' *O d*: 'fallat' *G D*.

LXI 1 beliconiei] 'bellicon iei' *O*: 'heliconei' *G D*.

„ 107 'lenta sed uelut' *O*: 'lentaque uelut' *G D*.

„ 187 'uelut' *O*: 'uultu' *G D*.

LXIII 46 sine queis] 'sineque is' *O*: 'sineque his' *G D*.

LXIIII 66 delapsa e *d*] 'delapse' ***O***: 'delapso' ***G D***.

LXIIII 102 'appeteret' (quod iam Muretus uoluerat) ***O***: 'oppeteret' ***G D***.

„ 130 'atque haec' ***O***: 'atque hoc' ***G D***.

„ 138 miserescere] 'mirescere' ***O***: 'mitescere' ***G D***.

„ 139 'blanda' ***O***: 'nobis' ***G D***.

„ 165 'externata' ***O***: 'extenuata' ***G D***.

„ 174 'in Creta' ***O***: 'in Cretam' ***G D***.

„ 179 'ponti' ***O***: 'pontum' ***G D***.

„ 185 'quine — lentos' ***O***: 'quiue — uentos' ***G D***.

„ 231 'tum uero' ***O***: 'tu uero' ***G D***.

„ 273 'leuiterque sonant' ***O***: 'leuiter sonant' ***G D***.

„ 291 'flammati' ***O***: 'flamanti' ***G D*** (***V*** flamāti ?).

„ 319 'custodibant' ***O***: 'custodiebant' ***G D***.

„ 353 'messor' ***O***: 'cultor' ***G D***.

„ 377 'hesterno' ***O d***: 'externo' ***G D***.

„ 388 uenissent *d*] 'uenissem' ***O, d***: 'uenisset' ***G D***.

LXVI 55 'auolat' ***O***: 'aduolat' ***G D***.

„ 72 'ullo' ***O***: 'nullo' ***G D***.

LXVII 8 'ueterem' ***O d***: 'uenerem ***G D***.

„ 42 ancillis] 'concillis' ***O***: 'conciliis' ***G D***.

LXVIII 2 'mittis' ***O***: 'mittit' ***G D***.

„ 66 'allius' ***O***: 'manlius' ***G D***.

„ 67 'clausum' ***O***: 'classum' ***G D***.

„ 119 'nec tam' (tā) ***O***: 'nec causa' (cā) ***G D***.

LXXVII 1 'amice' ***O***: 'amico' ***G D***.

LXXVIIII 1 'notorum' ***O***: 'natorum' ***G D***.

LXXX 6 'tenta' ***O d***: 'tanta' ***G D***.

LXXXVIII 2 'prorurit' [pr$\overset{ru}{o}$rit] ***O***: 'proruit' ***G D***.

XC 3 'constantamue' ***O***: 'constanterque' ***G D***.

denique c. XCII uersus 3 et 4, qui in ***G D*** interciderunt, in ***O*** (***d***) seruati sunt. . nam hoc quidem recte statuit Ellisius eos in ipso ***V*** fuisse, non ex Gellio interpolatos esse.

Haec exempla simulque libri *O* indolem qui probe perpenderit, is non poterit non transire in meas partes *O* multo maiore cum fide quam *G D* archetypum nobis reddere censentis. iamdudum autem, nisi fallor, miratus es illum tot locorum uitiose ex *V* descriptorum in *G* et *D* consensum. et ut statim meam sententiam aperiam: ex nullo alio fonte quam ex ipso *G* fluxerunt deteriores quos quidem nouimus libri omnes. neque tamen *D* pro se quisque ex *G*, sed omnes ex uno eodemque eius apographo originem duxerunt. quod satis demonstratur locis haud paucis, quibus *D* contra *O G* in lectionibus consentiunt:

XI 3 'ut' ***G O***: 'ubi' ***D*** ex interpolatione.
„ 6 'sagax' ***G O***: 'sagas' ***D*** recte.
„ 10 'uisens' ***G O d***: 'uidens' ***D*** praue.
XXII 4 'puto esse ego' ***G O d***: 'puto ego esse' ***D*** praue.
XXXI 13 'gaude' ***G O***: 'gaudete' ***D*** recte.
XXXVIII 2 malest] 'male si' ***G O***: 'male est si' ***D*** interpolate.
XLII 15 'tamen hoc satis' ***G O***: 'tamen satis hoc' ***D*** praue.
L 20 'reposcat' ***G O***: 'reponat' ***D*** praue.
LXI 169 'hac tibi' ***G O***: 'ac tibi' ***D*** recte.
„ 176 'adeat' ***G O***: 'adeant' ***D*** false.
LXII 59 'uiro' ***G O*** cum ***T***: 'uirgo' ***D*** praue.
LXIII 10 'quatiens quod' ***G O d***: 'quatiensque' ***D*** recte.
LXIV 213 'egens' ***G O***: 'aegeus' ***D*** recte.
„ 324 'opus' ***G O***: 'opis' ***D*** recte.
LXVI 85 'colitis' ***G O*** recte: 'quaeritis' ***D*** ('petitis' ***d***).
LXVII 12 'istius' ***G O***: 'isti' ***D*** interpolate.
LXVIII 37 'noli' ***G O***: 'nolim' ***D*** recte.
„ 91 'frater' ***G O d***: 'fratri' ***D*** recte.
„ 93 'adeptum' ***G O***: 'ademptum' ***D*** recte.
LXXIII 4 'taedet obestque' ***G O***: 'taedet stetque' ***D*** praue.
LXXVI 11 'qui tui — offirmas' ***G O***: 'qui tu — affirmas' ***D*** interpolate.

LXXVI 18 'extremo' ***G O***: 'extrema' ***D*** praue.

LXXXI 'ab sede' ***G O***: 'a sede' ***D***.

CII 1 'ab antiquo' ***G O***: 'ab amico' ***D*** recte.

CV 1 'pipileum' ***G O***: 'pipleium' ***D*** recte.

CVI 1 'esse' ***G O***: 'ipse' ***D*** praue.

CXII 1 'homo' ***G O***: 'homoque' ***D*** metri causa.

CXIV 6 'saltum' ***G O***: 'saltem' ***D*** praue.

uidemus igitur in eo libri ***G*** apographo, unde ***D*** fluxerunt, ut nonnulla recte correcta, ita multa praue siue descripta siue interpolata esse. ceterum illud ex ***G*** apographum tum factum est, cum hic iam correctorem passus erat. nam aliquotiens eius prima manus cum ***O*** consentit, at lectio correcta in ***D*** recepta est:

LXIV 13 'crudeles mentes' ***G*** m. pr. ***O***: 'crudelis mentis' ***G*** 2 ***D***.

„ 145 'adipisci' ***G*** m. pr. ***O***: 'apisci' ***G*** 2 ***D***.

„ 249 'tamen prospectans' ***G*** m. pr. ***O***: 'tamen aspectans' ***G*** 2 ***D***.

„ 355 'prosternet' ***G*** m. pr. ***O***: 'prosternens' ***G*** 2 ***D***.

LXVII 44 'sperent' ***O*** 'sperent' ***G***, unde 'speret' ***D***.

praeterea aliquot locis hoc usu uenit, ut ***G*** et ***O*** et ***D*** plane inter se dissentiant:

XXIX 14 'comeset' ***G***: 'comerset' ***O*** 'comesset' ***D*** recte.

LXVII 31 'non solum hoc dicit se' ***O*** recte: 'non solum se dicit' ***G*** 'non solum se dicit hoc' ***D***.

LXXVII 9 'uerum id non' ***O*** recte: 'uerum non id' ***G*** 'id uerum non' ***D***.

LXXII 2 'prae me' ***D*** recte ex coniectura: 'prime' ***O*** 'per me' ***G***.

denique non desunt loca quibus ***D*** cum ***O*** contra ***G*** consentiunt:

XV 16 'ut nostrum' ***G d***: 'ut nostrorum' ***O D***.

XXIV 9 'hec tu qualubet' ***G***: 'hoc tu quamlubet' ***O D*** recte.

LXIII 17 'euirastis *Gd*: 'euitastis' *O D* praue.
LXIV 130 'dixisse maestam' *G*: 'maestam dixisse' *OD* recte.
„ 308 'incinxerat' *G d*: 'intinxerat' *O D* praue.
LXVI 63 'uiridulum' *Gd*: 'uindulum' *Od*.
LXVIII 12 'seu me' *G*: 'neu me' *O D* recte.
„ 40 'differem' *G*: 'differrem' *O D* recte.
LXXVI 15 et 16 'hec' *G*: 'hoc' *O D* recte.
XCVI 5 'dolor est' *G d*: 'dolore est' *Od*.
C 2 'ueronensum' *G d*: 'treronensum' *Od*.
„ 6 'est exigitur est' *Gd*: 'est igitur est' *Od* ('est igitur', alia *d*).
CI 8 'munera' *G d*: 'munere' *O D* recte.
CXIII 'meciliā' *G*: 'mecilia' *O D*.

His autem locis, quibus in *D* aut e coniectura eadem uera lectio aut errore librarii idem uitium atque in *O* inuenitur, noli ita contra me uti ut *D* quoque, utpote ex aliquo libro derecta uia ex *V* profecto descriptos, archetypi lectiones hic illic seruasse statuas. talem enim sententiam quominus sequamur prohibet tot lectionum in *GD* simul eodem modo siue corruptarum siue aperte interpolatarum contra *O* consensus. num porro putas ad *V* referendum esse quod post carminis LXIV uersum 322 in *D* hoc interscriptum legitur 'Epitalamion thetidis et pelei'? nam in *O*, qui accuratissime *V* descripsit, nullum spatium, nulla inscriptio comparet, sed ex *G* nimirum mirus ille titulus repetendus est, cuius in margine hoc extat 'epithalamium thetidis et pelei'. et omnino omnes quas singula carmina in *D* prae se ferunt inscriptiones plerumque ridiculae ex *G* fluxerunt: nam in *O* nullae omnino apparent. praeterea non parui momenti ad hanc quaestionem sunt uersus LXVII 21 'languidior tenera cui pedens [ita G *O*] sicula beta' et LXVIII 16 'iocundum cometas florida ut ageret', quorum prior in *GD* post LXIV 386, alter post

LXVIII 49 iterum scriptus est. in *O* autem uterque semel tantum scriptus est, et falso quidem loco. et hac quoque in re *O* nobis *V* reddere pronus sum ut credam; nam qui *G* exarauit, cum prauam uersuum illorum collocationem animaduerteret, suis eos locis reddidit. iam concedo idem potuisse in *D* sua sponte fieri; nego tamen ullo modo fieri potuisse ut simul et in *G* et in *D* eo loco ubi false illi leguntur relinquerentur. immo apparet per se, librarium quemcumque uersiculos istos, postquam in genuinum locum restituit, adulterino delere debuisse. potuerunt ibi relinqui per neglegentiam quandam ab uno librario; at in duobus codicibus plane eodem modo sic peccatum esse equidem minime credo. immo hinc quoque intellegitur *D* ex *G* fluxisse.

Restare adhuc aliquot difficultates alicui uideri posse probe scio. nam miretur quispiam quod interdum hic uel ille deteriorum (*d*) cum *O* contra *GD* facit. numquam autem in quaestionibus tam lubricis obliuiscendum est posse aliquotiens duos plane diuersae stirpis codices in scripturis quae a ceterorum memoria recedant consentire eo quod utriusque librarius in describendo in eundem incidit errorem. et ob hanc causam scripturae uarietas in *D G O* ad meram orthographiam spectans aliaque leuioris momenti prorsus ab hac disputatione excludenda sunt. porro potest duobus diuersae originis libris ita in recta aliqua lectione conuenire ut tamen in alterutro ea ex coniectura librarii inlata sit. nihil igitur ualet *d* locis nonnullis una cum *O* contra *GD* rectum tenere; neque enim id in *d* ex *V* traditum, sed ex mera interpolatione receptum putandum est. nimirum non quid hoc uel illo loco, sed quid plurimis locis eisque quae ad tales quaestiones momentum faciant libri mss. praebeant contemplandum est.

In eis quae hucusque disputauimus eorum locorum, quibus scripturae diuersitas in *D G O* ex uaria quae in *V* super linea addita erat lectione repetenda est, nullam habuimus ra-

tionem. haec autem de uariis in *V* lectionibus quaestio, cum ad emendationem libri Catulliani maximi sit momenti, nunc accuratius pertractanda est. quo officio ita defungar ut omnes quibus etiamnunc in libris nostris nouiciis uariarum illarum lectionum uestigia supersunt locos sub uno hic conspectu ponam:

al mei
I 8 'libelli' ***Gd***: 'libelli' ***OD*** 'mei' ***d***.

al. patenti
II 3 'at petenti' ***G***: 'at petenti' ***O*** 'at patenti' ***d*** 'appet'. uel 'ac pet'. ***D***.

al. luderem
„ 9 'ludere' ***G***: 'ludere' ***OD*** 'luderem' ***d***.

al. ligatam
*„ 13 'negatam' ***G***: 'negatam' ***Od*** 'ligatam' ***D*** Priscianus.

al. castorum
IV 27 'castrum' ***G***: 'castrum' ***OD*** 'castorum' ***d***.

al. hic al. ille
*VI 9 'et hec et illo' ***G***: 'et hoc et illo' ***O*** 'et hic et ille' ***d*** 'et hec et illo' uel similia ***d***.

al. fretis
VII 4 'lasarpiciferis ***G***: 'lasarpici fecis' ***O*** 'lasarpici feris' ***D*** 'lasapici fretis' ***d***.

al. cyrenis
* „ 4 'tyrenis' ***G***: 'tyrrenis' uel 'tyrenis' ***D*** 'cyrenis' ***d***; de ***O*** non liquet.

al. sanam
VIIII 4 'uno animo suamque' ***G***: uno animo sanamque' ***Od***, 'uno animo suamque' ***d***.

al. quonam
*X 8 'et quoniam' ***G***: 'et quoniam' ***Od*** 'et quonam' ***d***.

al. nec
„ 13 'non' ***GO***: 'non' ***D*** 'nec' ***d***.

al. loco
XII 2 'ioco' ***Gd***: 'loco' ***O*** 'ioco' ***D***.

al. salsum
* „ 4 'falsum' ***G***: 'falsum aut salsum' ***O*** 'falsum' ***D***.

al. muneri
* „ 15 'numeri' ***Gd***: 'muneri' ***OD*** 'numeri' ***d***.

al. optimo
*XIV 15 'opimo' ***G***: 'optimo' ***OD*** 'opimo' ***d***.

al. luxerit
* „ 17 'luserit' ***G***: luxerit ***OD***.

al. false
*XIV 16 'salse' *G*: 'false' *O D* 'salse' *d*.

al. tum
*XV 17 'ah tamen' *Gd*: 'ah tum' *d* 'ah tamen' *d*; ex *O* nil Ellisius enotauit.

al. tum
*XVI 7 'qui tamen' *Gd*: 'qui tum' *Od* qui tamen' *D*.

bis
*XXI 6 'experibus' *G*: 'experibis' *O D* 'experibus' *d*.

al. itemque
XXII 3 'idemque' *G*: 'idemque' *O D*.

al. seruus
*XXIII 1 'seruo' *G*: 'seruo' *d* 'seruus' *d*. de *O* non liquet.

al. cui al nec
*XXIIII 5 'qui neque' *G*: 'qui neque' *Od* 'qui nec' uel 'cui nec' uel 'cui neque' *d*.

al. araneoso
*XXV 3 'arācoroso' *Gd*: 'araneoso' *O D*.

al. aues uel aries
„ 5 'mulier alios' *G*: 'mulier aries' *Od* 'mulier alios' *d* 'mulier aues' *D*.

i
* „ 5 'ostendet' *G*: 'ostendet' *Od* 'ostendit' *D*.

pari
*XXVIII 11 'parum' *Gd*: 'pari' *Od* 'parum' *D*.

al. nobis
„ 14 'uobis' *G*: 'nobis' *Od* 'uobis' *d*.

al. credens
*XXXI 5 'crederis' *G*: 'credens' *O D* 'crederis' *d*.

al. uolantiore
XXXIII 4 'uoratiore' *Gd*: 'uolantiore' *D*; de *O* non liquet.

al. noto es
XXXIV 15 'notho es' *G*: 'notho es' *O D*.

al sis quocumque tibi placet
* „ 21 'scis quaecumque tibi placent' *Gd*: 'scis quaecunque tibi placent' *D* 'scis quaecunque tibi placet' *Od*.

al. ydalium
*XXXVI 12 'adalium' *G*: 'adalium' *O* 'idalium' *D*.

al. uriosque
* „ 12 'utriosque' *G*: 'uriosque' *O D* 'utriosque' *d*.

al. uno
XXXVII 17 'une' *G*: 'une' *G D*.

al. impii
XXXIX 4 'pii' *G*: 'impii' *Od* 'pii' *d*.

al. pena
*XL 8 'poema' *Gd*: 'pena' *Od* 'poena' *D* 'poema' *d*.

al iocum
*XLII 3 'locum' *Gd*: 'locum' *Od* 'iocum' *D*.

al. essem
*L 13 'omnem' *Gd*: 'essem' *O D* 'omnem' *d*.

al. carmina
LIII 3 'crimina' *G*: 'crimina' *O D* 'carmina' *d*.

al. p
LIV 5 'seniore cocto' *G*: 'seniore cocto' *Od* 'seniore copto' *D*.

al. in
*LV 4 'id circo' *G*: 'in circo' *D* 'id circo' *Od*.

al. pinnipesue
* „ 17 'primipesue' *G*: 'primipesue' *O D* 'pennipesue' *d*.

al. crude
„ 26 'crede' *G*: 'crude' *d* 'crede' *O D*.

al. no
„ 32 'uestri' *G*: 'uestri *O* 'nostri' *D*.

al. remus
LXI 51 'remulus' *G*: 'remulus' *O D*.

al. locutio
„ 128 'lotatio' *G*: 'locacio' *Od* 'locutio' *D*.

al. bonei
*LXI 237 'bolnei' *G*: 'bonlei' *O* 'bolnei' *D* 'bonei' *d*.

m
LXII 32 'aequales' *G*: 'aequales' *Od* 'aequalem' *d*.

al. quid
* „ 46 'quod tamen' *Gd*: 'quid tamen' *Od* 'quid tum' *D*.

al. miseriter
*LXIII 49 'miseritus' *G*: 'miseritus' *Od* 'miseriter' *d*.

al. age cede
* „ 81 'a cede' *G*: 'age cede' *O D*.

al. Phasidos
*LXIV 3 'Fascidicos' *Gd*: 'Fascidicos' *Od*: 'Fasidos' *d*.

matre
„ 23 'mater' *G*: 'mater' *O D* 'matre' *d*.

al. neptine
„ 28 'nectine' *G*: 'nectine' *Od* 'neptine' d.

obuia
* „ 109 'omnia' *G*: 'obuia' *Od* 'omnia' *d*.

al. nemori
„ 123 'in memori' *G*: 'inmemori' *O D*.

al. idmoneos
„ 178 'ydoneosne' *G*: 'idoneosne' *O d* 'idmoneosne' *d*.

al. cui
* „ 219 'quem' *G*: 'cui' *D O*.

al. tibi
* „ 276 'tam' *G*: 'tamen' *O d* 'tibi' *d*.

al. corollis
* „ 283 'curulis' *G d*: 'corulis' *O* 'curulis' *d* 'corollis' *d*.

al. os
* „ 285 'penies' *G*: 'penies' *O d* 'penios' *d*.

al. nonacrius
„ 288 'Nonacuos' *G*: 'non accuos' *O* 'non acuos' *d* 'non acrios' uel similia *d*.

al. gratis
„ 298 gnatisque *G*: 'gnatisque' *O D* ('natisque' *d*).

al. hic
„ 307 'his' *G*: 'his' *O D*.

tutamen
* „ 324 'tutum' *G d*: 'tutum' *O d* 'tutamen' *d*.

al. Troya
*LXV 7 'Lydia' *G*: 'Troia' (Troya) *D*. de *O* mihi quidem non plane liquet.

al. at
*LXVI 21 'et' *G*: 'et' *O d* 'at' *D*.

al. tunc
* „ 24 'nunc' *G*: 'tunc' *O d* 'nunc' *D*.

al. si
* „ 35 'sed' *G*: 'sed' *O* 'si' *D*.

arsinoes
* „ 54 'asineos' *G*: 'arsinoes' *O d* 'asineos' *d*.

al. quia
„ 55 'isque' *G*: 'isque' *O D*.

collocat
* „ 56 'aduolat' *G*: 'collocat' *O d* 'aduolat' *D*.

In eis autem quae iam secuntur carminibus nullae comparent duplices lectiones. iam triplex oritur quaestio. nam cum in *G* fere solo illae seruatae sint integrae, hoc primum disquirendum est num *G* ex *V* eas transcripserit an scripturae uarietatem ex altero Catulli codice, qui c. I—LXVI con-

tinuit, petiuerit. cum autem *D*, qui modo hanc modo illam scripturam secuntur, ex ipso *G* deriuati sint, unus *O* ad hanc quidem quaestionem diiudicandam in partes uocandus est. nam si uariae illae lectiones in *G* non ex archetypo, sed aliunde inuectae sunt, sequitur ut *O* tantummodo eas praebeat scripturas quae *G* in contextu uerborum habet. nunc autem cum *O* modo eas quas textus libri *G* exhibet, modo superscriptas lectiones, quin etiam bis ipsas duplices scripturas [X 13 et XII 4] habeat, has iam in ipso *V* extitisse colligamus oportet. hinc altera nascitur quaestio haec, num uariae lectiones pro meris librarii correcturis fortasse ex eo exemplari unde ille descripsit iterum inspecto ductis an pro alterius codicis ab illo collati testimoniis habendae sint. equidem ut magis in hanc quam in illam sententiam inclinem maxime adducor addito illo locis longe plurimis 'alias', quippe quo non tam correctura quam lectio ex altero codice petita significetur. quod confirmant ipsae lectiones superscriptae accuratius perpensae. quis enim, cum ex. gr. VIIII 4 'uno animo suamque matrem' hanc uariam lectionem non minus uitiosam 'sanam' adlatam uideat, de correctore cogitet? immo omnia ut eum qui *V* exarauit usque ad c. LXVII alterius codicis uariam scripturam sedulo adnotasse sumamus iubent. restat ut quid de uariae illius scripturae pretio statuendum sit disquiramus. tot autem bonae et indubitate uerae lectiones (a me asterisco insignitae) ex altero illo codice adnotatae sunt, ut eum summi aestimandum esse ultro appareat. ubicumque igitur scripturae diuersitatem in *G* adnotatam inuenimus, semper eius quam diligentissime rationem habeamus oportet.

Nititur igitur, ut demonstrauisse mihi uideor, libri Catulliani emendatio solis Oxoniensi et Sangermanensi tamquam archetypi deperditi testibus. ex quibus quamquam *O* semper fere maiorem mereatur fidem quam *G* hic illic iam interpolatus, tamen nonnulla superesse loca quibus ob discrepantiam

testimoniorum quid in *V* exaratum fuerit incertum sit iam per se intellegitur. itaque hoc reliquum est ut peruestigentur bibliothecae quaeraturque tertium quod uia derecta ex *V* fluxerit exemplar: quo reperto demum de archetypi lectionibus ubique constabit. quo peruestigationis munere absoluto simulque nouis librorum *G* et *O* collationibus factis post certas hiemes nouam poetae Ueronensis editionem criticam instituam.

III.

Emendationes Catullianae.

In detergendis quibus Catulli libellus librariorum incuria deformatus est maculis quamquam egregiam operam posuerunt cum saeculi XV Itali quique deinceps floruerunt philologi, tum nostra aetate Lachmannus Hauptius L. Muellerus alii, multum tamen abest ut genuinam ille receperit formam; immo aenigmata haud pauca suum adhuc desiderant Oedipum. quibus soluendis num quae hic tibi offeruntur satisfaciant, de hac re tuum, lector candide, expecto iudicium. hoc unum addo non subitarum coniecturarum nubem, sed meditata multo ex tempore saepeque retractata me promere.

I 8 sq.:

> quare habe tibi quidquid hoc libelli,
> qualecumque.

intolerabilis et a simplicitate stili Catulliani quam alienissima est ista exaggeratio uerborum plane idem dicentium ‘quicquid’ et ‘qualecumque’. altius hic latet uulnus. nam primum *V*
al. mei
‘tibi habe’ praebet, deinde *G* ‘libelli’. quam uariam lectionem post ea quae supra p. 38 sq. exposui iam non cum Schwabio [praef. p. XXI] pro glossa habebimus, id quod et per se quam maxime est incredibile. non satis fide, ut puto, librarius codicis *G* reddidit hanc in *V* scripturam ‘tibi quicquid hoc libelli al. mei’, cum non uideret illud ‘al. mei’ pertinere ad ‘quicquid’. iam talem scripturam reciperatis nobis ‘mei hoc libelli’ ad perficiendam uersus deprauatissimi emendationem

proficiscendum est ab illo 'tibi habe'. quam corruptelam non transponendo, sed 'tu' uoculam huic loco aptissimam inserendo sanandam duco. hunc igitur uersum Catullo meo restituo:

> quare *tu* tibi habe *mei hoc* libelli
> qualecumque'.

cf. Lucret. II 16 'degitur hoc aeui quodcumque est'. de uoculae iambicae 'mei' elisione cf. Lachmannus comm. Lucr. p. 198.

IV 8:

> sertis ac Syrio fragrans oliuo'

paruum uitium, quo in *V* 'asirio' legitur, ita corrigas 'et Syrio'. nil quippe in scriptura langobardica frequentius est litterularum 'a' et 'et' confusione. quod non ignorant qui Taciti annales historiasque pertractarunt.

VIII 5:

> amata nobis quantum amabitur nulla.

cum toto hoc carmine poeta se ipse adloquatur, non potest retineri illud 'nobis', pro quo 'uobis' restituendum est; cf. Schwabius, quaest. Catull. p. 155.

X 9 sqq.

> respondi id quod erat, nihil neque ipsis
> nec praetoribus esse nec cohorti,
> cur quisquam caput unctius referret;
> praesertim quibus esset irrumator
> praetor, non faceret pili cohortem.

'ipsis' illud de Bithyniae incolis intellegunt. at Bithyni nihil referunt neque uero nihil esse cohorti (id est, nihil habere), sed nihil eam sibi comparasse dicendum erat. tradit *V* 'nihil neque nec in ipsis'; sub quo lectionis monstro duplicem latere scripturam 'nihil nec in' (neque ipsis) uidere mihi uideor. est autem illud 'neque ipsis' grammatici correctiuncula. ex 'nihil nec in' elicio hoc: 'nihil *lucelli*'; cf. XXVIII, 6 'ecquidnam in tabulis potet lucelli' et ib. 8 'refero datum lucello'. porro talis sententia 'nihil nec praetores nec cohortes referunt, cum prae-

tor eis sit irrumator' absurda est. recte iam Muretus restituit 'quaestoribus'. denique illud 'non faceret' uersu ultimo non potest obtinere locum. non opus erat Gronouii uiolenta mutatione 'faciens', modo substitueretur e *V*, qui '$\overset{nec}{non}$ faceret' praebet, 'praetor nec faceret pili cohortem'. nam cum 'quibus' uersu superiore pro 'cum eis' positum sit, facile ad 'nec faceret' subintellegemus 'cum'.

XXIX 9:

> hunc Galliae timet et Britanniae.

ita *V* exhibet uersum corruptissimum qui plurimorum quidem uirorum doctorum curas, nondum tamen medelam expertus est. nam mutando et transponendo quid aliud illi consecuti sunt quam ut sententiam a Catulli mente alienissimam restituerent? nimis quippe pertinaciter praesens tempus 'timet' retentum est. nihil autem amplius tum timebant Galliae et Britannia. iam enim eorum thesauris potitus erat Mamurra, iam eorum diuitiis usus corrumpebat mulieres Ueronenses. postquam autem u. 16—19 poeta exposuit inde a prima adulescentia elluonem fuisse Mamurram, quid, quaeso, aliud potuit adicere quam tale quid 'et in talem uos hominem Galliae et Britanniae diuitias contulistis?' legas: '*et huice* Galliae *optima* et Britanniae?' ad quae uerba facillime 'dedistis' uel simile quid suppletur, ut XXXVIII 6 'sic meos amores?', scil. 'reddis'. — cf. Horatius [sat. I 2, 90] 'corporis optima'.

XXXI 8 sq.

> cum mens onus reponit ac peregrino
> labore fessi uenimus larem ad nostrum.

prorsus insolito modo 'peregrinus labor' ponitur pro peregrinandi labore. corrige 'ac peregrino *ab orbe* fessi'; cf. ex. gr. Ouidius [met. I 94] 'peregrinum ut uiseret orbem.'

XXXVIII 17 sq.:

> tu praeter omnes, une de capillatis,
> cuniculosae Celtiberiae fili,

Egnati, opaca quem bonum facit barba
et dens Hibera defricatus urina.

mira lectionis uarietas in uoce 'cuniculosae' inuenitur. Priscianus enim duobus locis [V 77 et VII 22 H.] de uocatiuis 'une' et 'fili' agens ita affert uersus Catullianos, ut pro 'cuniculosae' praebeat 'celtiberosae'. at memoria lapsus est Priscianus, ut saepe grammatici latini. nego tamen fieri posse ut bis ille falleretur. accedit quod priore quidem loco aperte declarat se haec ex Flauii Capri, 'doctissimi antiquitatis perscrutatoris', dissertatione nescioqua sumpsisse. ad Caprum igitur lectio ista sane memorabilis redit. iam illud quaero num credibile sit grammaticum tam celebrem uel solius errore memoriae tam foede lapsum esse ut uiolato metro 'celtībĕrosae' poneret pro 'celtĭbērosae', cum praesertim coniunctum illud 'celtiberosae Celtiberiae' plane absurdum sit. quod ad scripturam in *V* traditam 'cuniculosae' attinet, latinum quidem uocabulum habemus, sed quidnam ad notandum Egnatium illud ualeat non perspicio. itaque qui quae supra monui de libri Catulliani in ipsa antiquitate corruptione recordatur, lectionem illam a Prisciano seruatam non abiciendam esse, ut hucusque fecerunt editores, sed quaerendum num quid bonae frugis ex ea reciperari possimus, mecum putabit. et hae quidem rationes nescio an Uossium adduxerint ut rescriberet 'Celtis perosae'. potuit tamen leniore remedio Catulli manus restitui. nimirum, mihi ut uidetur, Priscianus in Capri exemplari 'celtisberose' inuenit, quod temere et inscienter mutauit. hinc lenissima usus correctione scribo: 'une de capillatis Celtis, uerose Celtiberiae fili'. hoc unum sane restabat ut hominem sibi perosum tamquam puerorum sectatorem exagitaret Catullus. de 'uirosus' uoce cf., quod ad rem pertinet, Gellius VI 12, 5; quod ad formam, Ritschelius opusc. II 779 sqq. et Lucilius VII fr. 14 ed. L. M.

Addam his de Egnati persona suspicionem. quotiens enim longos istius capillos longamque barbam legi, totiens nescioquo

casu uidere mihi sum uisus hominem philosophum. cumque propterea quod plurimos homines a Catullo commemoratos, de quibus aliunde notitiam habemus, poeticis studiis et ipsos deditos fuisse uidemus, etiam de eis de quibus nil traditum est idem nostro nos iure statuere posse mihi persuasissem*), eo deueni ut Egnatium Catullianum eundem atque poetam a Macrobio [Saturnal. VI 5, 2 et 12] adlatum ducerem. cuius aetatem si respicis (ponitur a Macrobio inter Accium et Lucretium Cornificiumque), nihil hercle obstat quominus eum Catulli aequalem seniorem uocemus. ad carmina autem quod attinet, scripsit, ut decebat philosophum, de rerum natura libros aliquot. itaque et a tempore et a carminum genere bene se habet suspicio nostra. restat ut fragmenta Egnatii duo a Macrobio seruata adponam, quoad eius fieri potest, emendata. est autem sumptum utrumque ex primo de rerum natura libro.

I. denique Mulciber ipse petens altissima caeli
continuo it.

traditur uersu priore obuersante metro 'mulciber et ipse ferens', quod non dubito quin recte emendauerim. porro altero uersu praebent codices 'contingunt', quod licet incerta, non tamen improbabili, ut puto, coniectura mutaui; cf. Uerg. Georg. III 517 sq. 'it tristis arator maerentem abiungens fraterna morte iuuencum'.

II. roscida noctiuagis astris labentibu Phoebe
pulsa loco cessit concedens lucibu fratris.

rescripsi 'lucibu fratris': traditum est 'lucibus altis', quod, propterea quod Phoebi nascentis lux non recte dicitur 'alta', non potest retineri. praestat tamen fortasse 'lucibus almis' **); — sed misso Egnatio ad Catullum redeamus.

---

*) si accuratiora de poetarum latinorum collegio sciremus, fortasse 'contubernales' illos u. 1 commemoratos collegii illius sodales appellare liceret.

**) data occasione Cornificii quod apud Macrobium sequitur frag-

LV 7 sqq.:

> femellas omnes, amice prendi,
> quas uultu uidi tamen serenas.
> a, uel te sic ipse flagitabam:
> 'Camerium mihi, pessimae puellae!'

non potest ineptius cogitari uoce 'tamen'. hoc enim pacto Catullus puellas tristes praeterisse, hilares prendisse se dicit. at talis distinctio repugnat naturae rerum. cum enim omnes puellae, tum vero meretriculae amatores captaturae, quales hic cogitandae sunt, hilarem laetumque uultum gerere solent in publico incedentes. quid autem Catullus ex femellarum ore seu sereno seu seuero de Camerii latebris conicere potuit? *V* tradit 'serena', quod in interpolatis quibusdam libris recte in 'sereno' mutatum est. pro 'uidi' autem corrigendum censeo 'uigili'. haec itaque poetae sententia est: se omnes puellas apprehendisse ex eisque de amico quaesiuisse uultu uigili quidem (scilicet ut, siqua ore appareret confuso aut rubro, inde indicium acciperet), sed tamen sereno, ne sibi seuero et immiti deterritae irataeque femellae de industria negarent. — uersu altero quod L. Muellerus archetypi scripturam 'a uel te sic ipse flagitabam' retinuit nullo modo possum probare. nam quod uir clarissimus illud 'uel sic' ad id quod sequitur 'pessimae puellae' pertinere ait: primum non possunt uocabula cohaerentia 'uel sic' interiecto 'te' dirimi, cum nemo non 'uel' cum 'te' coniungat. deinde uero Catullus aperte per iocum puellas uocat 'pessimas' (nos 'Teufelsmädchen'; cf. XXXVI 9); at Muelleri explicatio, ut 'uel sic' diremptum nunc mittamus, non habet locum, nisi re uera poeta eas tamquam scorta uilia designare uoluit. itaque mihi pro explorato est latere in litteris 'a uel' participium aliquod, quale

mentum emaculabo ita 'centauros sedare bimembres'. Parisinus praebet 'fedare'. quod uulgo legitur 'foedare', non uideo quomodo cum L. Muellero coll. Uerg. Aen. II 55 interpretari liceat. — agitur de Centaurorum rixa a nescioquo composita.

est 'uisens' uel 'cernens', quod felicioribus indagandum relinquo. sed neque uerba sequentia 'te sic ipse flagitabam' a corruptione sunt immunia. nam perquam absurdum est illud 'ipse'. quasi uero res magna sit, Catullum ipsissimum, ut uerbo Plautino utar, non per seruum aliquem, femellas interrogasse. equidem iam antiquo tempore librarium aliquem ĪDE et IP̃E commutasse censeo. legamus ergo 'te sic inde flagitabam'*).

LXIII 18 sq.:

> hilarate erae citatis erroribus animum;
> mora tarda mente cedat; simul ite, sequimini.

Cybeles animum quomodo futuri eius sacerdotes hilarare potuerint eo quod gradu citato ad eam currebant, difficile est dictu. immo Attin ut se ipsos hilarent socios admonuisse docent ea quae secuntur uerba 'mora tarda mente cedat'. tradunt autem *O* 'erocitatis', *G* paulo corruptius 'crocitatis'. simpliciter hinc emendandum puto 'hilarate, io, citatis erroribus animum'. nam in illo 'erocitatis' litterula 'e' ex uoce antecedenti 'hilarate' praue repetita est.

ibid. 30:

> furibunda simul anhelans uaga uadit animum agens.

habent *O* 'animagens', *G* 'anima gens'. unde, cum 'a' et 'ee' in scriptura langobardica uix possint dinosci, 'animе egens' id est, 'animae egens', corrigendum est.

LXIV 12 sqq.:

> quae simul ac rostro uentosum proscidit aequor
> tortaque remigio spumis incanduit unda,
> emersere freti canenti e gurgite uultus
> aequoreae monstrum Nereides admirantes.
> atque illic alma uiderunt luce marinas
> mortales oculi nudato corpore Nymphas
> nutricum tenus extantes e gurgite cano.

---

*) in fine huius carminis ex *GO* restituendum est 'dum uestri (= tui) sis particeps amoris'. qua clausula poeta beneuolum in amicum animum optime expressit.

u. 13 in *V* 'totaque remigio' scriptum est, quod ut nimis languidum recte spreuerunt. licet autem 'tortaque', quod Itali reposuerunt, exemplis defendatur, mihi tamen semper uisum est reponere 'motaque', quippe quod uocabulum et mari tum primum remorum pulsu agitato melius conueniat et omissa scilicet littera initiali facillime corrumpi potuerit. praeterea adnotatione satis dignum est, Ouidium de Argo loquentem bis uerbo illo uti: metam. [VII 722] 'per mare non motum prima petiere carina' et amor. [II 11, 5] 'o utinam, nequis remo freta longa moueret, Argo funestas pressa bibisset aquas'. cf. praeterea Manilius [I 76] 'immotusque nouos pontus subduxerat orbes' et Ual. Flac. [V 44] 'nos ulla mouebimus ultra aequora'; Lucan. [V 449]. nequis enim mihi obiciat Catulli imitatorem Silium Italicum [VII 412].

ac tortus multo spumabat remige pontus,
cum trepidae fremitu uitreis e sedibus antri
aequoreae pelago simul emersere sorores,

ibi quoque, cum codices tradant 'ac totus', restituendum est 'ac motus multo'. locus autem Silianus aperte docet, uersu 14 'uultus' non, ut Hauptius [obs. crit. p. 34] uoluit, pro accusatiuo, sed pro nominatiuo iam antiquo tempore esse habitum. sed de u. 14 longius disputandum est. praebet enim *V* 'emersere feri candenti e gurgite uultus'. dudum autem perspexere docti, nullo pacto Nymphis feros uultus posse attribui. porro, postquam u. 13 legimus 'incanduit unda', moleste ferimus uersu insequenti illud 'candenti gurgite'. sed illud quod Schraderus reposuit 'freti canenti e gurgite', quamquam uulgata lectione multo se melius habet, tamen duplici nomine displicet. nam et 'uultus' adiectiuo quodam non adposito nimis friget et pauperis scriptoris est u. 14 'canenti e gurgite' et u. 18 'e gurgite cano' scribere. ut enim in unico gurgitis uocabulo repetito nulla est offensio, ita est in eodem cum 'canens' uel 'canus' attributo bis coniuncto. scripsisse censeo Catullum:

emersere fer*o* candenti*s* gurgite vultus.

ad quae uerba ea quae secuntur ‘aequoreae Nymphae’ per appositionem accedunt. — ubi autem ‘candentis’ in ‘candenti e’ corruptum est, ‘fero’ ab eo mutatum est qui ‘gurgite’ non duplici attributo instrui posse intellegeret. ceterum illa ‘emersere fero gurgite’ confirmantur eis quae loci Cattulliani non immemor auctor Dirarum scripsit [u. 57] ‘cum subito emersere furenti corpora ponto’. quam apte autem Nymphis ‘candentes uultus’ dentur facile perspicitur. — ‘candentis’ pro ‘candentes’ positum est, ut habes primo casu LXII 11 ‘aequalis’, LXIV 276 ‘linquentis’ ubi plura eiusmodi in adnot. crit. congessit Schwabius. — uersus 16 initium multorum temptatum est coniecturis, quas utpote in mutata fundamenti critici condicione silentio possumus praeterire omnes. praebent autem ***G*** ‘illa atque alia’, ***O*** ‘illa alia’. quomodo nos hanc lectionis diuersitatem interpretabimur? ita, puto, ut in ***V*** ‘atque $\overset{\text{illa}}{\text{alia}}$’ scriptum fuisse dicamus. censeo autem ‘illa’ uocem nihil aliud esse quam correctionem alterius ‘alia’; has enim uoces sexcenties in codicibus confusas esse notum est. iam tale uersus 16 initium ‘atque illa’ reciperatis nobis ad perficiendam loci emendationem reminiscendum est, ***V*** non ‘uiderunt’, sed ‘uidere’ exhibere. hinc necessario eo ducimur ut inter ‘uidere’ et ‘luce’ uoculam aliquam intercidisse statuamus. dedit, nisi fallor, Catullus

atque illa uidere *beata* luce marinas.

ibid. u. 22—24.

o nimis optato saeclorum tempore nati
heroes, saluete, deum genus, o bona matrum
progenies, saluete iterum. . . .

uersum 24 ‘progenies saluete iterum’ in ***V*** librarii errore omissum seruauit scholiasta Ueronensis ad Uerg. Aen. V 80 [p. 94, 11 ed. Keil], ut tamen ultima uersus pars nunc perie-

rit. nimis autem patienter tulerunt editores illud ‘o bona matrum progenies’. plane enim intolerabile est, siquid ego noui poetarum latinorum loquendi genus, matrum uox attributo quodam destituta. quid autem? eone nomine heroas saluere iubet poeta quod e matribus procreati sunt? mirum quantum hoc post illud ‘saluete deum genus’ friget. alteram autem eamque iustam salutationis causam ex egregiis heroum facinoribus petere potuit debuitque poeta; uirtutes eorum u. 51 commemoratae uno saltim uerbo hic attingendae erant. hic *V* ueri uestigium apertissimum praebet exhibendo ‘$\overset{\text{matre}}{\text{mater}}$’. illud autem ‘matre’ cum, si uersu sequenti careas, plane sit ineptum, ab interpolatore profectum, esse non potest, cum contra et ‘mater’, quod *V* ipse, et ‘matrum’, quod scholiasta Ueronensis habet, utcumque interpolata uideantur ab eis qui quid illi ‘matre’ facerent ignorarent. legas ‘o bona ***Marte*** progenies’. sic ex. gr. Tacitus [ann. I 3] ‘Agrippam bonum militia’.

ibid. 52 sqq.:

> namque fluentisono prospectans litore Diae
> Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
> indomitos in corde gerens Ariadna furores.

cum classe fugit qui complures habet naues, quarum in una aliqua ipse est collocatus. at cum scriptores ueteres, tum imagines Pompeianae et Herculanenses unam tantummodo Thesei puppem fuisse ostendunt. rescribas id quod etiam allitteratione commendatur: ‘Thesea cedentem celeri ***tum*** classe tuetur’. nam classem pro unica naui poni sat constat*).

*) u. 56 ‘fallaci quae tum primum excita somno’ *O* ‘tune primum’ tradit, unde corrigendum est ‘tunc primum’. eodem errore X 3 in *O* ‘tune repente’ pro ‘tunc repente’ legitur. — u. 64 pro ‘uelatum’ reponendum esse ‘niueum iam’ (uel ‘tum’) dixi in Fleckeiseni annalibus 1872, p. 843. — u. 100 cum Ritschelius reposuisset ‘saepe magis fuluore expalluit auri’, nuper ‘fuluoris’ uocabulum stabiliuit Buggeus ibid. p. 98.

ibid. 111.:

nequiquam uanis iactantem cornua uentis.

uani illi uenti uere sunt uani, id est nulli. *O* 'nauis praebet. legas '*uacuis* iact. corn. uentis'. — u. 119 recte reposuisse mihi uidetur Buechelerus [in Fleckeis. ann. 1866 p. 610] 'in gnata deperdita lamentatur', quamquam Uarronis Atacini quo innititur fragmentum a Sergio [p. 564, 14 K.] seruatum minus bene tractauit idem. ita autem est traditum illud 'huic similis curis expedita lamentatur' afferturque a Sergio ut per praepositionem superuacuam 'ex' fieri soloecismum doceat. legendum est 'huic similis curis *ex petra* lamentatur'. nam neque uox illa dedecet Atacinum neque spondeum in quarto uersus spondiaci pede pro dactylo positum apud Catulli aequalem mirabimur. — ceterum 'petra' uox saepius corruptelam passa est. apud Horatium [od. I 12, 9—13]:

arte materna rapidos morantem
fluminum lapsus celeresque uentos,
blandum et auritas fidibus canoris
ducere quercus

recte perspexit L. Muellerus [praef. ad Hor. pag. XIV] non posse defendi illud 'quercus' post 'siluae' [u. 8] illa quam grammatici amplificationem per species uocant figura. neque tamen propterea stropha illa damnanda erat, immo insistendum in uia a Peerlkampio inita, qui pro 'quercus' reponendum 'cautes' coniecit, nimis id quidem uiolenter; tu medela multo leniore mecum restituas 'ducere petras'. alterum uocis 'petra' corruptae exemplum alibi dabo.

ibid. 139 sq.:

at non haec quondam blanda promissa dedisti
uoce mihi, non haec miserae sperare iubebas.

'blanda uoce' restitui ex *O* aperta ueritate. in eis quae secuntur datiuus 'miserae' correctis ceteris inusitatae illius constructionis exemplis reiculus est. praeterea 'haec' uo-

cula desiderat adiectiuum. dirimendae sunt litterae ita 'misera esperare' scribendumque (de 'esperare' cf. Lachmannus comm. Lucr. p. 232): 'non haec misera sperare iubebas'. iam per chiasmi quam uocant grammatici figuram sibi respondent cum 'haec misera' et 'conubia laeta', tum 'haec promissa' et 'optatos hymenaeos'. — de 'miserā sperare' cf. u. 186 'nulla spes'.

ibid. 171 sqq.:

> Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
> Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes.

si Ariadna principium mali sui execrari uoluit, debuit illud repetere ab Androgei Athenas itinere. uide mihi porro quam plane praeter necessitatem bis idem dicatur u. 172 et u. 174. recte se habebit illud 'tempore primo', si reposueris 'Gnosia Cecropiae tetigisset litora puppis.' ceterum iam antiquo tempore insedit uitium. nam id quod in *V* traditum est iam Macrobius [sat, VI 1, 42] legit, qui minus recte illud Uergilio [Aen. IV 656 sq.] obuersatum esse contendit.

ibid. 178 sq.:

> Idomeneosne petam montes? a, gurgite lato
> discernens ponti truculentum ubi diuidit aequor.

'ponti' ***O***, 'pontum' ***G*** praue tradit. non cadit autem in sermonis Catulliani simplicitatem talis synonymorum cumulatio 'discernens diuidit'. nam prorsus alia ratio est carminis sexagesimi tertii, ubi affectatum atque quaesitum est illud in utraque uersus parte plane idem dicendi studium. praeterea 'ubi' uocabulum, quocumque modo accipis, non habet interpretationem. emendandi periculum facturus (nam certam emendationem proferre se posse nemo facile contendat) aliquando lusi: 'a, gurgite lato discernens ponti truculentum ***auidae inuidet*** aequor!', hoc est: cum montes patrios petere cupiam, prohibet mare.

ibid. 184:

praeterea nullo litus, sola insula, tecto.

neque 'litus nullo tecto est' latine dicitur neque illis 'sola insula' bene disrumpuntur uerba cohaerentia. uaria excogitauerunt uiri docti: mihi Catullus dedisse uidetur 'praeterea ***nudum*** litus, sola insula tecto'. recte autem 'tecto' uox ut a 'nudum', ita a 'sola' pendet, quippe quod 'desolata' uocis significationem aequet.

ibid. 212 sq.:

namque ferunt olim, castae cum moenia diuae
linquentem gnatum uentis concrederet Aegeus.

displicet concredendi uocabulum uitae cotidianae magis quam cultae poeseos sermoni aptum. in *V* traditur 'cum crederet'. legas: 'castae ***tum*** moenia diuae linq. gnat. uentis cum crederet Aegeus'. 'cum' coniunctionis postpositae aliquot exempla attuli in Fleckeiseni annal. 1872 p. 630*).

ibid. 272 sqq.:

quae tarde primum clementi flamine pulsae
procedunt leuiterque sonant plangore cachinni
post uento crescente magis magis increbescunt
purpureaque procul nantes ab luce refulgent:
sic ibi uestibuli linquentis regia tecta
ad se quisque uago passim pede discedebant.

*) u. 246 sqq.:

sic funesta domus ngressus tecta paterna
morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
obtulerat mente immemori talem ipse recepit.

neque 'domus' neque uero 'ferox' sine addito quodam tolerari possunt. quod olim conieci 'domus ingressus tecta paternae Marte ferox' nunc uideo ab aliis praeceptum esse. non potest autem pulcrior oppositio excogitari quam haec domus paternae luctu obsitae et Thesei ob uictoriam superbi. uerba 'qualem Minoidi luctum obtulerat', ut tandem desinant coniecturis uexari, adnoto imitatum esse eum qui Cirin scripsit u. 289 'insanae luctum portauit alumnae'.

ex *O* reposui 'leuiterque sonant', cum *G* 'leuiter sonant' praebeat. recte iam Mitscherlichius contulit Senecam [Agam. 681] 'Ceysa suum fluctu leuiter plangente sonent'. — in uersu 275 Mureto aliisque offensioni fuit illud 'nantes'. postquam enim iam in uersu superiore undae magis magisque increbuisse dictae sunt, eaedem, quippe quae semper uel mari tranquillo fluitent, quam languide hic 'nantes' uocentur uix potest dici. sed uirorum doctorum conamina propterea a scopo aberrauerunt quod ad id quod sententia necessario requirit non satis animaduerterunt. nimirum qui modo u. 271 Auroram solis praenuntiam legimus, cum hic 'ab luce' (quod nisi ad solem ipsum non potest referri) deprehendamus, unde tam subito sol apparuerit nostro iure miramur. hinc autem loci emendatio petenda erat. rescribo: 'purpureaque procul *nascente* ab luce refulgent'. recte autem Phoebi nascentis [cf. Lactantius de aue Phoenice u. 41] lux dicitur 'purpurea'; cf. ex gr. Nemesianus [ecl. II 75] 'nondum purpureos Phoebus cum tolleret ortus nec tremulum liquidis lumen splenderet in undis'. quamquam habet quo se commendet Lennepii coniectura 'purpureaeque'. — neque tamen hoc solum quod modo profligasse nobis uidemur uitium uersus supra excripti contraxerunt. nam neque quam sanam interpretationem tradita lectio 'uestibuli' habeat neque quid Schraderi coniectura 'uestibulo' lucremur perspicio. est autem comparationis summa haec: ut mare luce noua paulatim insurgit et magis magisque uentis incitatur, ita qui tum in regia adsunt Thessaliae incolae, ubi deis locum dare debent, celeri gradu ad fores properant exitumque quaerunt; quo plures autem insequebantur, eo magis primoribus pede citato erat abeundum. talem autem uoculam, qua multitudinis concitatae properaeque cum maris undis tumidis similitudo eluceat, nullo modo omittere potuit Catullus, cum alioquin non stet imago. hinc suum restituo Catullo: 'sic ibi *festini* linquentis regia tecta'.

ibid. 348 sqq.*):

illius egregias uirtutes claraque facta
saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,
cum in cinerem canos soluent a uertice crines
putridaque infirmis uariabunt pectora palmis.

prauom est a latinitate illud 'in cinerem', siue pro 'ut cinere spargantur' siue pro 'ut tumulo iniciantur' accipis. porro aegre desideramus epitheton aliquod uocabulo 'uertice' additum. longe autem aliud quam quod uulgo fertur in *V* traditum est. nam pro 'in cinerem' praebet 'inciuium', porro pro 'canos' *O* 'inciuos', denique idem *O* 'crimen' pro 'crines' legit. hinc ultro nascitur emendatio certissima: 'cum ***incultum*** can***o*** soluent a uertice cri***nem***', siue uestigiis *O* insistens malis 'incano'. quamquam paene superfluum est adferre exempla, tamen excribam Senecae uerba [Troad. 100] 'soluimus omnes lacerum multo funere crinem; coma demissa est libera nodo'.

ibid. 382 sq.:

talia praefantes quondam felicia Pelei
carmina diuino cecinerunt pectore Parcae.

pro 'cecinerunt' cum in *V* traditum sit 'cecinere', scribendum erat 'cecinere ***e*** pectore Parcae;' cf. Uergilius [Aen. III. 373] 'atque haec deinde canit diuino ex ore sacerdos'.

ibid. 394 sqq.:

saepe in letifero belli certamine Mauors
aut rapidi Tritonis era aut Rhamnusia uirgo
armatas hominum est praesens hortata cateruas.

numquam quid hic Rhamnusia uirgo sibi uelit mente perspexi. num tu umquam Nemesin deam hominum proeliis interfuisse apud ullum antiquitatis auctorem legisti? pacis eam fuisse amantissimam et, cum extincto Saturni regno bella ri-

---

*) breuiter addo me olim coniecisse u. 280 'nam quoscumque ***Pherae*** campis, quos Thessala magnis' et u. 296 'quam quondam ***triplici*** restrictus membra catena'.

xaeque ubique orerentur, ultimam deorum terras reliquisse ueterum fabulae narrant. et tantopere ab huius numinis natura atque indole abhorrent proelia, ut nullo pacto illa a poeta quodam tamquam praesens bellantium uirorum hortatrix fingi potuerit. itaque non dubito quin merum librariorum uitium subsit. non habet autem altera uirgo hic locum quam Diana. cum igitur *G* 'rānusia', *O* autem 'ramunsia praebeant, scribendum puto 'aut rapidi Tritonis era aut ***Amarunsia*** uirgo'.

ibid. 401 sq.:

> optauit genitor primaeui funera nati
> liber ut innuptae poteretur flore nouercae.

quae uerba haud uno uitio inquinata sunt. primum autem, siquid aliud, ineptum est illud 'optauit'. quid enim tum, si uoti non compos reddebatur pater, si uixit uiguitque filiolus? optime Achilles Statius comparauit Salustii locum [Cat. 15, 2] 'postremo captus amore Aureliae Orestillae ... quod ea nubere illi dubitabat timens priuignum adulta aetate, pro certo creditur necato filio uacuam domum scelestis nuptiis fecisse'. neque hercle quid optauerit, sed quid fecerit genitor scire cupimus. scribendum est aperte 'patrauit genitor'. deinde uersu altero ut 'innuptae' ita 'nouercae' pessime se habet. neque enim Catullus uocem 'innuptus' aliter quam hac significatione 'coniugis expers' adhibet. porro si sublatis e medio liberis e priore uxore genitis uacuam reddiderat domum pater scelestus, nouam quam duxit uxorem non nouercam fecit. itaque nos, qui interpretum artificia omnes nugas atrocissime defensitantium nihil plane curamus, haec corrupta esse statuimus. nam Catullus, ut erat simplicissimi ingenii homo, tale quid dederat: ut ab hac parte liber nouam duceret uxorem. scribe: '***patrauit*** genitor primaeui funera nati, liber ut ***hinc*** nuptae poteretur flore ***nouellae***'. et decet 'nouellus' uox Catullum deminutiuorum amantissimum.

LXVI 15 sqq.:

estne nouis nuptis odio Uenus? anne parentum
frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
ubertim thalami quas intra limina fundunt?
non, ita me diui, uera gemunt, iuerint.

haec uerba omnes quoad uideo critici leui pede transierunt. nam quod Heysius pro 'falsis' rescripsit 'salsis' nauci est, cum 'falsis lacrimulis' et 'uera gemunt' aperte sibi opponantur. illud autem 'parentum' quid sibi uelit nemodum interpretum exposuit, nisi quod unus Scaliger attulit fragmentum Callimacheum [118 apud O. Schneiderum]:

ἡ παῖς ἡ κατάκλειστος
τὴν οἵ φασι τέκοντες
εὐναίους ὀαρισμοὺς
ἔχθειν ἶσον ὀλέθρῳ.

quod fragmentum ut ad *πλόκαμον Βερονίκης* minime pertinet, ita nec Catullo obuersatum esse uersus nostros scribenti ultro apparet. nam unica similitudo intercedit ea quod apud Callimachum *τέκοντες*, apud Catullum 'parentum' legimus. hoc autem 'parentum' siquis ita interpretandum putet, inuitas e domo parentum cedere puellas ad noui mariti domum transituras, neque cur 'gaudia parentum' pro 'parentes' sit positum neque quomodo puellae ***frustrentur*** lacrimis parentes neque uero quid ad parentes lacrimae ***intra thalami limina*** fusae pertineant intellego. talis quam modo supposui sententia quonam modo iuste exprimatur ipse te docebit Catullus [62, 21]: 'qui natam possis complexu auellere matris'. corruptam igitur censeo uocem 'parentum'. quam ut paulisper omittamus, reliqua optime procedunt. iam enim 'gaudia' intellegenda sunt Uenerea diciturque 'frustrari gaudia' eodem plane modo quo 'differre gaudia' apud Ouidium [met. 6, 514] et in inscriptione Pompeiana [1837 Zangem.]. expectamus autem fere additam esse causam, qua noua nupta differat gaudia. quae morandi causa perfacilis est perspectu. legas:

> estne nouis nuptis odio Uenus? anne *pauentes*
> frustrantur falsis gaudia lacrimulis?

hoc enim melius uidetur quam 'pauentum'.

ibid. u. 42 sqq.

> sed qui se ferro postulet esse parem?
> ille quoque euersus mons est, quem maximum in oris
> progenies Thiae clara superuehitur.

male se habet illud 'ille quoque euersus mons est'. nam omissum est id uocabulum, sine quo totum exemplum omnino non stat, puta ferri. quod siquis facile e uersu antecedenti mente suppleri dicat, ego boni esse poetae nego, ita ambigue loqui ut principalem enuntiationis alicuius notionem lectoribus relinquat ex coniectura addendam. nam uarii quibus Athos mons euersus sit modi excogitari possunt. itaque cum ferro potissimum eum succubuisse dicere uelit Catullus ferri notionem omino praetermittere non potuit. lego:

> *quone ille* euersus mons est eqs.

ubi 'quone' in 'quoque' corruptum est, uocularum traiectione metro claudicanti consulebant. — ualde autem illud 'quine', quod proxime accedit ad formulae 'quippe qui' significationem [cf. G. Hermannus in Jahnii annalibus 1841 p. 246] adamauit Catullus; cf. c. LXIV 180; 183. LXVIII 91.

ib. 59.

> hi dii uen ibi uario ne solum in lumine caeli
> ex Ariadneis aurea temporibus
> fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus,
> deuotae flaui uerticis exuuiae:
> uuidulam a fluctu cedentem ad templa deum me
> sidus in antiquis diua nouom posuit.

excripsi uersum 59 qualem exhibent codices. dies autem, ut aiunt, me deficiet, si cuncta uirorum doctorum ad expedienda uerba deprauatissima uelim enumerare et refutare conamina. nam ne ea quidem quae sola in censum ueniunt, scilicet Hau-

ptii 'Arduei ibi uario' et Ritschelii 'numen ibi uario', mihi ullo modo satisfaciunt. nam id quod Catullus scripsit, aperte, ni fallor, colorum in his uersibus oppositio indicat. quemadmodum igitur u. 60 'aurea' et u. 62 'flaui' sibi respondent, ita corrupto illi 'hidii uen ibi' subesse debet quod 'uario' uoci oppositum sit. hinc quam saepe in codicibus ut 'c l' et 'd', ita 'l i' et 'n' [cf. ex. gr. LXIII 85 'adhorta lis' pro 'adhortans' in *V* scriptum] inter sese locum mutauerint contemplanti mihi ultro ex litteris traditis enascebatur hoc 'hic niuen ibi', quod nil aliud est nisi 'hic niuen' (i superscr.) uel 'hic niuei'. rescribamus igitur:

hic, niuei uario ne solum in lumine caeli eqs.

nam 'hic' pro 'tum' saepissime posuit Catullus, cf. X 24. LXIIII 270. LXVII 37. — simillime de plaga septemtrionali dicit Ualerius Flaccus [IV 204] 'orte niuali Arcados axe deae'. u. 63 dudum intellectum est, comam non posse 'uuidulam a fluctu' uocari, cum mare illa non tetigerit, sed derecta uia ex Arsinoes templo in caelum uecta sit. itaque Itali 'a fletu' restituerunt. potuit minore cum mutatione emendari 'uuidulam a luctu'. hoc enim uocabulo restituto quibusnam lacrimis coma ficta sit uuida intellegitur, cum u. 51 legatur 'abiunctae paulo ante comae mea fata sorores *lugebant*'.

ibid. u. 93:

sidera cur iterent utinam coma regia fiam:
proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

uerba corrupta 'sidera cur iterent' nunc ex Lachmanni coniectura ita scribunt 'sidera corruerint'. quod nullo modo possum probare. nam neque decet comam tam impium uotum neque, ut uoti fieret compos, inde aliquid lucraretur. rectissimo igitur iudicio docti Itali mihi uidentur correxisse 'sidera cur retinent?' non apte autem etiam in Lachmanniana scriptura cohaerent ea quae sequuntur. debuit enim coma dicere: si nunc ego reddar Berenicis uertici, tum per me licet

Oarion proximus fulgeat Hydrochoi, id est, tum sidera eorumque motus nihil omnino curo. — pro 'utinam' *O* praebet 'utina'. fuit, ni fallor, in *V*: 'utiā'; undo emendo: ***ut iam*** coma regia fiam, proximus' eqs. — 'fulgeret' est 'fulguret'.

LXVIII 27 sqq.:

> quare quod scribis Ueronae turpe Catullo
> esse, quod hic quisquis de meliore nota
> frigida deserto tepefactet membra cubili.

intellexit Lachmannus [comm. Lucret. 287] per latinitatem non 'quisquis', sed 'quiuis' dicendum fuisse. addo neque 'quisquis' neque 'quiuis' in loci sententiam quadrare. quid enim? num omnes loci non infimi homines tum temporis Ueronae ut abstinerent amoribus decuit? puto id caelibes tantum, non etiam maritos decuisse. non dubium igitur mihi est quin corrigendum sit 'quod hic ***uiduus*** de meliore nota'.

ibid. 57 sqq.:

> qualis in aerei perlucens uertice montis
> riuus muscoso prosilit e lapide,
> qui, cum de prona praeceps est ualle uolutus,
> per medium densi transit iter populi.

egregie de uersu ultimo disputauit M. Hauptius [quaest. Catull. p. 87 sqq.]. qui quod pro 'densi' reposuit 'sensim', id recte a nuperrimis editoribus receptum est. idem tamen non agnouit etiam illud 'per medium' esse mendosum. neque enim ullo pacto riuus iter publicum medium secuisse (nam aliam non uideo sanam uulgatae scripturae interpretationem), sed tantum iuxta illud lente lapsus itaque uiatoribus fessis leuamen praebuisse dici potest. quid scripserit Catullus iterum accurata singularum locutionum ex contrario sibi obstantium contemplatio indicabit. nimirum ut 'sensim transit' illi 'praeceps uolutus est' respondet, ita in corrupta uoce 'medium' latere oportet quod illi 'prona de ualle' oppositum sit. legas 'per ***campum*** sensim transit iter populi'; cf. Uergilius [Georg. III

521] 'non qui per saxa uolutus purior electro campum petit amnis'. uidetur autem hoc loco is liber unde *V* originem duxit lectu fuisse difficillimus, ut librarius pro uocibus quas iam satis dinoscere nequiit utcumque illud 'per medium densi' reponeret, fortasse non immemor eius quod c. LXVI 47 'per medium' legerat. — in uersu sequenti 'dulce uiatori lasso in sudore leuamen' *O* id quod omnino rectius se habet 'uiatorum' praebet. itaque ex 'basso', quod in *V* pro 'lasso' traditum est, aliud quid eliciendum est. conieci 'uiatorum ***crasso*** in sudore'*).

ibid. 84 sqq..

posset ut abrupto uiuere coniugio.
quod scibant Parcae non longo tempore abisse,
si miles muros isset ad Iliacos.

multum in his uerbis se torserunt uiri docti, cum bene illi intellegerent id quod *V* praebeat 'abisse' nauci esse. non potest autem uox 'coniugio propter' u. 86 aliter quam pro 'coniuge' accipi. sed hanc interpretationem necessariam si sequeris, minus apta euadet uocula 'abrupto'. pro qua cum *O* 'ab in nupto' tradat, substituendum est '***absumpto*** uiuere coniugio'. uersui autem 85 eo egregie consuluit L. Muellerus quod pro inepto 'scibant' reposuit 'scirant'; restat ut pro 'abisse' corrigamus id quod unice huc conuenit 'obisse'; de tempore perfecto cf. Reisigii schol. lat. § 290. nam litterulae 'o' et 'a' quot locis cum in omnibus libris antiquis tum in *V* confusae sint sat constat. sed locus Catullianus in memoriam mihi reuocat Ualerii Aeditui uersus dulcissimos apud Gellium [XVIIII 9] seruatos, quos ilico subiciam emendatos:

dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
quid mi abs te quaeram: uerba labris ***obeunt***;

*) u. 70 reponendum esse 'candida cura pede' monui in Fleckeiseni annal. 1872 p. 836.

per pectus manat *subitus gelido* mihi sudor:
sic tacitus, subidus dum pudeo, pereo.

uersu enim altero quod plerique legunt 'uerba labris abeunt', id plane alienum est ab Aeditui mente, cum nil nisi 'loquor' significet; cf. Catullus [LXIII 74] 'roseis ut huic labellis sonitus citus abiit'. Aedituus uero prae pudore se loqui non posse innuit. itaque pro 'abeunt' restituendum erat 'obeunt'. uersu tertio quod codd. praebent 'manat subido mihi' utcumque supplere studui; ultimo denique recepi certissimam H. Useneri [mus. Rhen. XIX p. 151] emendationem 'dum pudeo': traditum est 'duplideo'.

ibid. 136sq.:

rara uerecundae furta feremus erae,
ne nimium simus stultorum more molesti.

quis, di boni, umquam fando uel legendo audiuit stultos homines hunc habere morem, feminis esse molestos? quod si aliquando uerissimum est, num ideo licet hoc tamquam communem omnium stultorum morem designare? non scripsit hercle Catullus tam inepta, sed dedit quod uita cotidiana comprobauit: 'ne nimium simus tutorum more molesti'. de tutoribus eorumque supercilio omnia nota.

ibid. u. 158sq.:

et qui principio nobis terram dedit aufert,
a quo sunt primo omnia nata bona.

uerba in toto Catulli libro corruptissima uario modo sanare studuerunt docti eo successu ut duo quidem uitia egregie correxerint. nam et Heysius in illo 'aufert' nomen 'Anser' latere felicissime intellexit et Hauptius in uersu minore 'mi' ante 'omni' inserendo optime consuluit et metro et sententiae. tertia autem huius distichi macula adhuc medicum frustra circumspexit. nam quod pro 'terram dedit' nuperrime L. Muellerus Mitscherlichium secutus dedit 'te tradidit', id grauissimam ob causam reiectaneum est. nam cum tradendi uer-

bum hic non admittat nisi commendandi significationem, plane peruerse Catullo Allius olim commendatus esse dicitur, cum quae secuntur uerba 'a quo sunt primo mi omnia nata bona' sententiam plane contrariam expostulent. itaque praeterea scribendum erat 'uobis me tradidit'. qua re de coniecturae illius probabilitate multum detrahitur. mihi omni tempore poeta, cum quae in uersu pentametro leguntur uerba scriberet, de una Lesbia cogitasse est uisus. quid enim magis huius elegiae fini conuenit quam a Catullo etiam eius, a quo olim in Lesbiae domum ductus erat, commemorationem honorificam fieri? qui si re uera, ut Heysius coniecit, Anser fuit, quid mirum est quod poeta poetam ad Clodiam artis poeticae studiosissimam quaeque fortasse illius discipula erat ducebat? ab hac autem pentametri uersus interpretatione proficiscendum est ad uersus prioris emendationem. in quo talis debet latere sententia: qui nobis puellam amatam dedit. genuinam distichi formam putamus fuisse hanc: 'et qui principio nobis ***taedam*** dedit Anser, a quo sunt primo mi omnia nata bona'. ita enim taedae uocabulo Propertius quoque usus est [I 8, 21]: 'nam me non ullae poterunt corrumpere taedae'*).

LXXVI 11 sq.:

quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis
et dis inuitis desinis esse miser?

lectionis uarietas in ***V*** haec est: 'qui tui ('tu' ***D***) offirmas ('affirmas' ***D***)'. deinde ***O*** 'instincteque', ***G*** 'instinctoque' legunt. non latet aliud in 'quitui' quam 'quitni' id est 'quidni'. ex 'instincteque' autem quamquam recte 'istinc' elicuerunt, tamen in 'teque' copula me quidem iudice non habet locum. est autem 'teque' corruptum ex 'tece', id est, 'tete'.

---

*) c. LXXI 4 scribendum esse 'mirificast poena nactus utrumque malum' docui in Fleckeis. annal. 1872 p. 846.

legamus ergo: 'quidni animo offirmas atque istinc tete reducis'.

LXVII 5 sqq.:

> eripuisti heuheu nostrae crudele uenenum
> uitae, heuheu nostrae pestis amicitiae.

pro 'heuheu' uersu priore *G* 'he heu', *O* 'heu', uersu altero *O* 'heu' praebent. ualde autem dubito num forma 'heuheu' antiqua sit; cf. Peerlkampius ad Hor. od. I 15, 9. utroque uersu ipsis codicibus ducibus 'eheu' restituendum est.

LXXXXVI:

> Si quicquam muteis gratum acceptumue sepulcris
> accidere a nostro, Calue, dolore potest,
> quo desiderio ueteres renouamus amores.

non esse latinum illud 'a nostro dolore quo desiderio', dudum intellexit Guarinus proposuitque 'quom des.' lenius uidetur uestigio libri *O*, qui pro 'quo' tradit 'que', ita uti ut reddatur poetae 'quei desiderio ueteres renouamus amores'.

CXI:

> Aufilena, uiro contentam uiuere solo,
> nuptarum laus e laudibus eximiis.

ita rescripsit Scaliger pro eo quod in *V* traditum est 'laus est'. aegre autem in hac enuntiatione 'est' uocula caremus. mutatione fere nulla restitue 'nuptarum laus est laudibus *e nimiis*.

CXII:

> Multus homo es, Naso, neque tecum multus homost qui
> descendit: Naso, multus es et pathicus.

Cum non aueat animus in huius distichi sordibus diutius morari, adponam illud emendatum: 'mundus homo es, Naso, neque tecum mundus homost qui te scindit: Naso, mundus es et pathicus!' — 'te scindit' Hauptio debeo.

CXIII:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Mucillam: facto consule nunc iterum eqs.

'Mucillam' rectissime ex Pleitneri emendatione reposuerunt Schwabius et L. Muellerus (nam 'Meciliam' *V* habet), puto tamen Catullum uulgi pronunciationem secutum 'Moecillam' scripsisse, ut ad 'moecha' uocem alluderet. deinde necessario flagitatur ut restituamus 'facto *hoc* consule nunc iterum'.

Cum semper emendandis carminibus eis quae anthologia quam uocare consueuimus latina continentur operam nauaui, tum hic quasi corollarii loco afferam quae neque inutilia neque harum rerum studiosis ingrata fore confidam.

I.

In Riesii syllogae uolumine altero [p. 132 sqq.] hoc extat carmen:

Ergone supremis potuit uox improba uerbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
A scelus hoc dignum? soluetur littera diues
Et poterunt spectare oculi, nec parcere honori
Flamma suo? ductumque operi seruabit amorem?
Pulcher Apollo ueta! Musae prohibete Latinae!
Liber et alma Ceres, succurrite! uester in armis
Miles erat, uester docilis per rura colonus.
Nam docuit quid uer ageret, quid cogeret aestas,
Quid pater autumnus, quid bruma nouissima ferret.
Arbuta formauit, sociauit uitibus ulmos,
Curauit pecudes, apibus sua castra dicauit.
Haec dedit ut pereant, ipsum si dicere fas est!
'Sed legum est seruanda fides; suprema uoluntas
Quod mandat fierique iubet, parere necesse est'.
Frangatur potius legum reuerenda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies, supremaque uerba parentis
Amittant uigilasse suum. si forte supremum

Errauit iam morte piger, si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo non sponte sed altis
Expugnata malis odio languoris iniqui,
Si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas
Troia suas, iterum cogetur reddere uoces?
Ardebit miserae post uulnera uulnus Elissae?
Tam sacrum soluetur opus? tot bella, tot enses
In cineres dabit hora nocens et perfidus error?
Huc huc, Pierides, date flumina cuncta, sorores:
Exspirent ignes, uiuat Maro ductus ubique
Ingratusque sui studiorumque inuidus orbi
Et factus post fata nocens. quod iusserat ille
Sit uetuisse meum: satis est post tempora uitae.
Immo sit aeternum tota resonante Camena
Carmen, et in populo diui sub numine nomen
Laudetur uigeat placeat relegetur ametur!

edidit hoc carmen Riesius ex codicibus Parisinis 2772, 7927, 8069, 8093 a se et Bernensibus 165, 167, 172 ab Hageno conlatis et intra saec. IX—XI scriptis. ego ipse librum celeberrimum Uaticanum 3252 saec. IX, qui olim Bembi fuit, et Monacensem 305 saec. XI contuli. hi autem codices omnes carmen nostrum ita ut supra excribendum curaui, si paruas quasdam differentias omittimus, unanimo consensu tradunt. itaque nulli obuium est dubitationi, quin illi ex uno fonte deriuati sint. ad idem autem carmen referendi sunt uersus in codice Uossiano 111 saec. IX extantes, qui apud Riesium leguntur p. 112:

Nescio quid fugiente anima, non sponte sed altis
Expugnata malis odio languoris iniqui
Infertur Tyriae post uulnera uulnus Elissae?
Sentiet applicitos turbata Sibylla uapores
Et iurata mori nec cingula reddet Amazon?
Di meliora date ac sensum reuocate nocentem
(Pace uiri liceat tanti), nec commoda linguae
Diuitis intereant, per quam Romana iuuentus
Aeternum florere potest: quod iusserat ille,
Sit uetuisse meum. nam post sua tempora uitae

Non taceat, immo aeterna resonante Camena
Laudetur placeat uiuat relegatur ametur!

quos uersus cum ad carmen nostrum pertinere nemo non primo statim obtutu animaduertat, tamen id mirantes nos habet quod fragmentum illud uersus haud paucos exhibet quorum in codicibus supra enumeratis nullum appareat uestigium. itaque cum in carmine tam parui ambitus non liceat statuere, ipsum auctorem duplicem eius recensionem instituisse, uno modo res illa explicari poterit, ut librarium archetypi, ex quo qui carmen integrum tradunt codices commemorati fluxerunt, uersus illos a libri Uossiani fragmento suppeditatos omisisse aiamus. quam opinionem iam olim a me conceptam non sine gaudio inueni confirmatam, cum Romae codicem Palatinum 487 saec. IX—X perlustrarem. qui liber ut alia poemata latina, de quibus mox accuratius dicemus, tum fol. 45 carmen nostrum totum continet ita ut eundem atque Uossianus eius finem praebeat. Palatini (quem abhinc ***P*** significabo) lectionibus diligentius inspectis mox duas codicum familias agnoui, quarum ea quae ex ***P*** et Uossiano (***U***) constat ita alteri praestat ut ubicumque fere maiorem mereatur fidem. ceterum alterius familiae unum Bembinum (***B***) tamquam testem optimum fidissimumque exhibebo, quippe quocum, ut iam dixi, ceteri libri tantum non ubiuis congruant. cum autem non paucis difficultatibus carmen impeditum sit, locos eos quibus ***P*** et ***B*** inter se differunt quique nondum emendatricem experti sunt manum percensebo.

u. 4 haec ***P*** habet 'soluetur littera diues Nec poterunt spectare oculi nec parcet hiatu flamma pio tantumque operi seruauit honore'. quod lenibus quibusdam uitiis correctis quam longe praeferendum sit ei quod ***B*** tradit, uix attinet dicere. ceterum in hoc uitium ortum uidetur ex duplici scriptura
honore
'operi seruauit amorem', unde 'honore' in uersus antecedentis finem expulso genuino uocabulo 'hiatu' inlatum est traxit-

que cetera uitia. restant tamen etiam in scriptura libri ***P*** quaedam emaculanda. primum enim non intacta sunt haec 'nec poterunt spectare'. nam id quod in ***B*** pro 'nec' legitur 'et' uix ausim rectum affirmare, cum multo melius conueniat indignationi quam primis uersibus poeta exprimit, si post uerba 'soluetur littera diues' interrogandi signum ponimus. itaque pro 'Nec' reposuerim 'Hec', id est 'haec'. deinde quod pro inepto illo 'ductumque' ***P*** praebet 'tantūque' ita mutandum censeo ut 'tantoque operi' rescribatur. — iam in eis qui secuntur uersibus [8—17] causam, qua Apollinem Musas Liberum Cererem ut succurrant inuocauerit, ita poeta reddit ut summa Uergilii merita adductis eius Georgicis adumbret. in quibus uersibus quod ex ***P*** uersum adhuc plane incognitum lucramur id grati accipiemus; is enim post u. 11 haec inserit 'munera telluris largae ratione nouauit'. Uergilii meritis hoc modo expositis ita poeta secundum ***B*** pergit 'haec dedit ut pereant, ipsum si dicere fas est'. numquam autem satis miraberis priorum editorum stuporem, qui non animaduerterunt ante u. 14 hiare orationem. nam cum 'haec' ad ea quae uersibus antecedentibus praedicata sunt spectent, auctor Uergilium ***Georgica*** Romanis dedisse ut mox combureret dicit! apparet uersum illum stare non posse nisi praecedit Aeneidis commemoratio. in his turbis succurrit nobis ***P*** haec exhibens:

haec dedit ut pereant, ipsum si dicere fas est.
illum ipsum aenean nescisset roma perennis
docta maroneo caneret nisi pagina uersu.

quae ita accipient sanitatem, si uersum primum feceris ultimum. est autem, ut puto, in propatulo duos uersus nouos in eo archetypo, unde et ***B*** et ***P*** originem duxerunt, in margine fuisse additos; sic enim cur ei in ***B*** plane omissi, in ***P*** autem loco alieno inserti sint facillime perspicitur. ceterum uerba 'ipsum si dicere fas est' recte suspectarunt Heinsius Burmannusque, qui parum tamen felicia protulere conamina.

hoc enim ipsum 'ut pereant' non hercle eguit addito 'si dicere fas est'. sed id quod ipse auctor perdendi extitit suasor potuit aliquis non sine horrore effari. itaque scribendum est 'haec dedit ut pereant ipso, si dicere fas est'; cf. Claudianus [de laud. Stil. II 256] 'hic quoque uicinis pereuntem gentibus' et Sulpicia [u. 60] 'quondam dum Lydis Smyrna peribat'. — u. 19—22 ita tradit ***P***:

> auferat una d ... s cruciataque pec ... a frustra
> id ciuerem ferut ora nocens si lingua loquuta est
> nescio quid fugiente anima non sponte et altis.

omittit igitur ***P*** uerba 19 'supremaque uerba parentis — 21 iam morte piger' et horum duorum uersuum loco unum praebet eumque mancum. neque enim illa 'id ciuerem ferut ora nocens' cum eis quae praecedunt 'cruciataque pectora frustra' (ita enim supplenda uidentur quae nunc legi non possunt) ullo modo cohaerent. extant autem uerba 'id cinerem ferunt ora nocens' paulo emendatiora in ***B*** loco plane alio u. 28, qui locus in ***P*** deest. contra uerba 'cruciataque pectora frustra' in ***B*** desiderantur. equidem ut mirum illum in utrisque codicibus defectum arte ac ratione explicem, ad eandem quam iam supra adhibui interpretationem confugio, nempe fuisse uersum illum 'cruciataque pectora frustra . . . . .' in margine additum. peccauit autem archetypi librarius eo quod, dum margini adscripsit, oculis ad carminis contextum aberrans illis 'cruc. pect. fr.' plane aliena admiscuit: genuina igitur auctoris uerba post 'cruc. pect. fr.' periisse statuendum est. non aliam autem ob causam uerba illa in archetypo sunt addita quam quod librarii quadam neglegentia primitus omissa erant. iam si quaerimus quem in carmine nostro locum sibi uindicent illa, bene recteque post uerba 'si forte supremum errauit iam morte piger' inseri uidentur: nam quod in Uergilii morituri imagine iusto diutius commoratus est, non aegre feremus in poeta paulo loquaciore.

Inde a uersu 22 'nescio quid' eqs *U* incipit, quocum *P* semper fere consentit. iam si uersus, quos *B* et *PU* familiae pro se quaeque seruarunt, inter se comparaueris, facile concedes neutris nos posse carere. cum enim uerbis illis [u. 24—26] 'iterum sentire — uulnus Elissae' poeta clarissimas Aeneidis historias breuiter perstringat, apparet eum non se continere potuisse in Troiae excidio [Aen. II] Didusque interitu [Aen. IV] commemorandis. hic *PU* ultro fere tamquam continuationem nobis offerunt uersus illos 'sentiet applicitos — reddet Amazon', quippe quibus aliae Aeneidis narrationes nobiles, puta de Sibylla Cumaea [Aen. VI] et de Camilla [Aen. XI] contineantur. quodsi his uersibus elucet nullam codicum familiam pro se solam genuina poetae uerba tradidisse, sed alteram ex altera esse supplendam, etiam de ceteris uersibus idem nostro iure contendemus. ut autem quam clarissime perspiciatur harum turbarum in communi archetypo origo, pagina sequenti exprimendum curaui archetypi folium tale quale fere mente finxi. nimirum is qui familiam *PU* procreauit librarius non descripsit fere nisi uersus in margine extantes, cum contra familiae *B* genitor eis plane neglectis ipsum tantummodo contextum secutus sit. nos igitur uersus margini adscriptos sic, ut res ipsa et argumenti series iussit, in contextum inseruimus. recta autem ratiocinatione nos usos esse in archetypo restituendo, docent uerba illa 'id cinerem ferut ora nocens' in *P* loco plane alieno scripta. quae uerba cum iusto loco in sola *B* familia seruata sint, demonstrant librarium eius codicis, unde *PU* profluxerunt, adhuc ipsum contextum ob oculos habuisse, cum alioquin non esset unde per errorem illa peteret. atque haec quidem in uniuersum: nunc de singulis quas poetae uerba contraxerunt corruptelis uideamus. qua in re ita uersabor ut minora quaedam a me emendata, quae commendatione uix egeant, praetermittam. u. 20 quae *B* praebet 'si forte superbum errauit iam morte piger' sensu sunt destituta. reiculum autem est id quod nu-

auferat una dies supremaque uerba parentis
amittat uigilasse suum. si forte superbum
errauit in morte piger si lingua locuta est
nescio quid fugiente anima non sponte sed altis
expugnata malis odio languoris iniqui
si mens caeca fuit iterum sentire ruinas
Troia suas iterum cogetur reddere uoces
infertur Tyriae post uulnera uulnus Elissae
tam sacrum soluetur opus tot bella tot enses
in cinerem dabit ora nocens et perfidus error
huc huc Pierides date flumina cuncta sorores
et spirent ignes uiuat Maro ductus ubique
ingratusque sui studiorumque inuidus orbi
et factus post fata nocens. quod iusserat ille
si uetuisse meum satis est post tempora uite
immo sit aeternus tota resonante Camena
carmen et in populo diui sub numine nomen
laudetur uigeat placeat relegatur ametur.

cruciataque pectora frustra
id cinerem ferut hora frusta

sentiet applicitos turbata sibilla uapores
et iurata mori nec cingula reddat amazon
di meliora date ac sensu reuocate parentem
pace uiri liceat tanti nec commoda linguae
diuitis intereant per quam romana iuuentus
aeternum florere potest uerum . . . . . .

perrimus editor ex Heinsii coniectura recepit 'supremum', cum iam uersu antecedenti id uocabulum legatur. cum autem in hoc carmine, cuius uerba in ***B*** praesertim — ut uu. 5 et 6 clare demonstrant — tot tantasque corruptelas passa sunt, non nimis anxie traditis litteris inhaerere interdum deceat criticum, rescripsi id quod a sententia unice flagitatur 'si forte ***prementi*** errauit iam morte piger'; cf. ex. gr. Ciris [316] 'cum premeret natura, mori me uelle negaui'. — idem cadit in uersum 25 'iterum sentire ruinas Troia suas, iterum cogetur reddere uoces': neque enim absonum illud 'reddere uoces' correxisse puto Heynium, cum 'reddere poenas' proponeret. equidem quod posui 'cogetur sidere in ignes' — cf. Uerg. Aen. II 624 — libenter abiciam, siquis leniore remedio sanare uerba sciet. — u. 30 'uiuat Maro ductus ubique'. quod pro inepto illo 'ductus' olim in Fleckeiseni annalibus [1873 p. 63] conieci, id nec nunc muto. — in ultimis uersibus solus ***B*** dignus est quem in restituendis poetae uerbis sequamur; nam in ***PU*** librorum archetypo, cum librarii festinatione ex duobus uersibus unus euasisset, hic postea quocumque modo correctus est. unice autem rectam puto u. 34 lectionem in ***B*** obuiam 'aeternus', ad quod uerbum supplendum est 'Uergilius', cuius scilicet carmina omni tempore a Musis cantari finguntur. — u. 35 uerba 'in populo diui sub numine nomen' uix ullam a latinitate defensionem habere puto. dedi 'diui sub nomine numen', id est: audiat in populo 'diuus Uergilius' et ita quasi numen colatur.

Restat ut carmen totum a nobis haud paucis uersibus auctum et pro uiribus emendatum apponam adiecta omni lectionis uarietate:

Ergone supremis potuit uox improba uerbis
tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes
magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?

Octauiani cesaris augusti uersus de laudanda ac adfirmanda arte Uergilii post mortem illius incipiunt ***B***, Epigramma Aūg. Caesaris quod

a, scelus indignum! soluetur littera diues?
haec poterunt spectare oculi nec parcet hiatu
flamma pio tantoque operi seruabit honorem?
pulcher Apollo ueta! Musae prohibete Latinae!
Liber et alma Ceres succurrite! uester in aruis
miles erat, uester docilis per rura colonus.
nam docuit quid uer ageret, quid cogeret aestas,
quid pater autumnus, quid bruma nouissima ferret.
munera telluris largae ratione nouauit:
arbuta formauit, sociauit uitibus ulmos,
curauit pecudes, apibus sua castra locauit.
illum ipsum Aenean nescisset Roma perennis,
docta Maroneo caneret nisi pagina uersù:
haec dedit ut pereant ipso, si dicere fas est?
'sed legum est seruanda fides: suprema uoluntas
quom mandat fierique iubet, parere necessest'.
rumpatur potius legum reuerenda potestas
quam tot congestos noctisque dieque labores
auferat una dies supremaque uerba parentis
amittant uigilasse suum. si forte prementi
errauit iam morte piger cruciataque frustra

Aeneidos Uergl (l *cum lineola transuersa*) cremare uetuit *P*, Item epigramma ā. cesaris in confirmatione eorundem librorum *U inscribunt.*

2 in **B**: ad **P** || 4 a **P**: at **B**: | indignum **P**: hoc dignum **B** || 5 haec *scripsi*: Nec **P** et **B** | oculi; *malim* foci | parcet hiatu **P**: parcere honori **B** || 6 pio **P**: suo **B** | tantoque o. s. honorem *scripsi*: tantūque o. seruauit honore **P** ductumque o. seruauit amorem **B** | 8 aruis *scripsi*: armis **B P** | uester docilis **B**: docilis etiam **P** | 12 *omittit* **B**. large *et* nouabit **P**, *correxi* || 14 locauit **P**: dicauit **B** | 15 *et* 16 *omittit* **B** | nescis*set* roma per*ennis* **P** *(litterae inclinatae lectu sunt difficillimae)* || 17 *in* **P** *ante* 15 *positus est; traieci* | ipso *scripsi*: ipsum **B P** || 18 fides et supr. **B** supprema **P** || 19 quom *scripsi*: quo **B P** quod *uulgo* | pararique (fie) iubet parare **P** | necesse est **B P** || 20 rumpatur **P**: frangatur **B** || 21 tot congestos *uulgo*: tot congestas **B** totum gestos **P** | noctisque **P**: noctesque **B** | dieque *scripsi*: diesque **B P** || 22 auferat **P**: hauserat **B**. | d || s **P** | *uerba* supremaque — 24 piger *om.* **P** || 23

pectora . . . ., si lingua locutast
nescio quid fugiente anima non sponte, sed altis
expugnata malis odio languoris iniqui,
si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas
Troia suas, iterum cogetur sidere in ignes?
infertur Tyriae post uulnera uulnus Elissae?
sentiet applicitos turbata Sibylla uapores
et iurata mori, ne cingula reddat, Amazon?
tam sacrum soluetur opus? tot bella, tot enses
in cinerem dabit hora nocens et perfidus error?
di, meliora date ac sensu reuocate parentem
(pace uiri liceat tanti), ne commoda linguae
diuitis intereant, per quam Romana iuuentus
aeternum florere potest uerum*que tenere*.
huc huc, Pierides, date flumina cuncta, sorores:
exspirent ignes, uiuat Maro lectus ubique!
ingratusque sibi studiorumque inuidus orbi

---

amittant *uulgo*: amittat *B* | prementi *scripsi*: superbum *B* supremumt *Heinsius* || 24 iam *Oudendorpius*: in *B* || 24 *et* 25 cruciataque pec |||| a frustra *P*, *quod suppleui et transposui. porro P addit*: id cinerem ferut ora nocens *quod utpote e u.* 34 *praue sumptum deleui: in B haec omnia desunt.* || 25 locuta est *B*: loquuta est *P* || 26 fugiente anima *P U*: titubante animo *B* | et altis *P* || 27 iniquis *P* || 28 *et* 29 *omittunt P U* || 29 sidere in ignes *scripsi:* reddere uoces *B* reddere poenas *Heynius* || 30 infertur *U*: ardebit *B* unitur *P*, *unde* incutitur *conicias* | tyriae *P* tiriae *U*: miserae *B* | .helissae *U* alissae *B* | 31 *et* 32 *omittit B* || 31 applicator *P* | sibilla *U* | uapores *U*: ||| pore *P* || 32 ne *scripsi*: nec *P U* | singula *U* | reddet *uulgo* | mazon *U*, *corr. manu sec.* || 33 *et* 34 *omittunt P U* || 34 in cinerem *dedi ex P (cf. ad u. 25): in* cineres *B* | hora *uulgo*: ora *B P an* ira? || 35—39 *omittit B* || 35 dii *U*: *om. P* | sensu — parentem *P*: sensum — nocentem *U* || 36 ne *scripsi*: nec *P U* || 37 diuites *et* iuuenta *P* || 38 aeternam *P* | forere *U* | uerumque tenere *scripsi*: uerum quod iusserat ille *P U*, *qui uu.* 39—42 nocens *omittunt* || 40 exspirent *cod. Doruillianus:* et spirent *B* | lectus *scripsi*: ductus *B* || 41 sibi *scripsi*: sui *B* || 43 sit *U*: si *B P* | uetuisse meum *B U*: uetuissem ista *P* | sacer est post *uulgo*: satis est post *B* nam post sua *P U* | u. 44 *ex B dedi*: non taceat immo ae-

et factus post fata nocens quod iusserat ille,
sit uetuisse meum: sacer est post tempora uitae.
immo sit aeternus tota resonante Camena
carmen et in populo diui sub nomine numen
laudetur uigeat placeat relegatur ametur!

---

terna resonantae (resonate *U*) camena ***P U*** || 45 *omittunt* ***P U*** | nomine numen ***scripsi***: numine nomen ***B*** || 46 uigeat placeat ***B***: placeat uiuat ***P U***.

II.

Parua illa quae nunc anthologia latina continentur carmina miro saepe casu ad nos peruenerunt. ueluti librarii post maioris ambitus opera, siqua pagina paginaeue pars uacua erat, tum haud raro uersiculos illos ut explerent spatium in usum uocabant. admodum autem probabile est saeculi decimi quinti doctos Italos qui libris mss. non paucis usi sunt nunc deperditis eiusmodi poematia multa reperisse repertaque descripsisse. tale est quod ego aliquando in codice Riccardiano 2939 saec. XV plurima Italorum eius aeui poetarum carmina continenti deprehendi:

Incerti auctoris:

Baiarum dum forte capit sub mollibus umbris
    fessus Amor somnum murmure captus aquae,
ipsa facem accurrens gelida celauit in unda,
    ut ueteres flammas uindicet, alma Uenus.
quam primum liquor ille aeternos concipit ignes,
    igne nouo (quisnam crederet?) arsit aqua.
flammiuomis igitur fumant haec balnea lymphis,
    quod facula una omnes uincit Amoris aquas.

legitur u. 3 'accurres' et u. 6 'arsit aquas'. — uere antiquos esse hos uersus cum res ipsa clamat, tum docet inscriptio 'incerti auctoris' (nam carminibus nouiciis suus semper auctor adscriptus est) et id quod sequitur carmen itidem 'Incerti au-

toris. Ad Puellam de niue', quod in Anth. lat. 706 legitur. — in eodem Riccardiano post Martialis quaedam carmina [XI 18] 'donasti Lupe rus sub orbe nobis' [VIII 21] 'ad Cesarem Domitianum: si quid forte petam', [VIII 12] 'uxorem quare locupletem' hi inueniuntur uersiculi:

Lucretia.

Dicite, cum melius cadere ante Lucretia posset,
cur potius post uim maluit illa mori?
crimine se absoluit manus illa habitura coactae
ultorem et patriae depositura iugum.
quam bene contempto lacerat sua pectora ferro,
dum pariter famae consulit et patriae!

u. 4 'uultorem' et u. 5 'contempto sacra sua' scriptum extat. — his duobus anecdotis adiciam tertium, quod utpote unicum celeusmatis antiqui exemplum cognitione admodum dignum est. ex codice Santeniano gramm. lat. saec. VIII uel VIIII [mss. Diez. B. 66] pag. 279 (praecedit pagg. 277, 278 Columbani ad Fidolium epistula) descriptum et inter describendum hic illic correctum aliquando mihi dono misit L. Muellerus.

Heia, uiri, nostrum reboans echo sonet heia!
arbiter effusi late maris ore sereno
placatum strauit pelagus posuitque procellam
edomitique uago sederunt pondere fluctus.
heia, uiri, nostrum reboans echo sonet heia!
annisu parili tremat ictibus acta carina.
nunc dabit arridens pelago concordia caeli
uentorum motu praegnanti currere uelo.
heia, uiri, nostrum reboans echo sonet heia!
aequora prora secet delfinis aemula saltu
atque gemat largum promat seseque lacertis,
pone trahens canum deducat *et* orbita sulcum.
heia, uiri, nostrum reboans echo sonet heia!
aequore flet Corus: *uocitemus* nos tamen heia.

conuulsum remis spumet mare: nos tamen heia.
uocibus adsiduis litus resonet: *tamen* heia!

u. 2 'effisi', corr. L. Muellerus — 7 'dabitur ridens', correxi. — 8 'pregnanti concurrere', correxi. — 11 'et que', corr. L. Muellerus — ib. 'gemet', correxi — 12 'et' addidi — 14 'achoresultet portus nos tamen heia', emendare studui — 16 'tamen' add. L. Muellerus.

Explicit.

Corrigenda.

p. 17, l. 18 legas 'uendituram esse'.
p. 27, l. 3 'perspiceret. tandem'.
p. 42, l. 33 'patet'.

Index

auctorum emendatorum.

Jenae, typis. Fr. Maukii.